

**BIBLIOTEKA**


Zakl. Nar. im. Ossolińskich


XVII


1,772

80

071









# VATICINIA

Ex natura & moribus de-  
prompta, de Anno Domi-  
ni M. DC. XIII. & M. DC. <sup>X</sup>IV.  
alijsque sequentibus.



## In Zoilum.

*Zoile, quid mundum tentas inuertere? cur sic  
Commisces albis nigra, bonisq; mala?  
Seria que fuerant, aspellas rustica: rursus  
Turpem, si qua fuit Musa iocosa, vocas.  
Si bene tu facis hoc, facies quoq; non malè: pòdex  
Ima tuus linquens occupet ore locum.*



CRACOVIAE,

Chalcographo Nicolao Lobio, Anno  
Domini 1612.



In Arma antiquissimæ domûs Komo-  
rouiorum.



**R**espicias, ut ternis properent hac flumina secta  
Ordinibus, prisca nobile stemma domus.  
Seu vis Danubio fluxisse hos, qui secat auræam  
Ungariam, primum hinc stemmatis omen habe.  
Hac gens magnanimis Casmiro hic profuit ausis,  
Atq; opibus magnum fecerat auxilium.  
Dixeris aut Hermum, qui auratam voluit arenam,  
Pulchrum an Pactolum, credis an esse Tagum.  
Seu mage Castalio rorantes flumine ab undas,  
Vel fors Pegasei quem ungula fecit equi?  
Quicquid id est stemma hoc, de te prædixit Apollo,  
O NICOLAE, tua firma columna domus.  
Militia robur iungens pietate cum auita,  
Quod rarum est, pectus Musa tuum excoluit.  
Hac tria dum semper Mauortis in agmine iungis,  
Turca tui robur pectoris extimuit.  
Et qui respiciens tergum, post se arma ministrat  
Vidit te, & sensit barbarus ipse Getes.  
Ergo terrores deponere ex pectore vanos  
Patria, dum tantis cingere fluminibus.

*Illustri ac Magnifico Domino,*  
D. NICOLAO è KOMOROW  
KOMOROWSKI COMITI IN LIPTOW, ET  
Orawa, Capitano Oswiecineñ: &c. &c.  
Domino & patrono suo colendissimo

S. P. D.

**T**Emperi in seruire sapientis est, *Illustri ac Magnifico Domine.* Sic namque ritè decenterq; res aggredi docemur, easq; sine prefixo metientes, ad certum colossiona deducere. Et verò cum truditur dies die, nouèq; pergunt interire lune (ut inquit Poëta) fit ut posteriora consilia prioribus sint meliora. Sic saucius euitat miles arenam, Quidem immemor antiqui vulneris, arma rapit monente occasione, ut hoc pacto, vel fame sue, vel Reipublice commodis prospiciat. Proinde Q ego licet ceciderim nuper dogmata quædam de moribus, quibus titulum prefixi VATICINIORVM, sub auspicio *Illust. Mag: J.* non inculta quidem, nec diligentia contemnenda elaborata: multa enim iucunda, multa ad mores instruendos, Q informandos inde quisq; promere poterat: tamen innouanda putavi rursus eadem, partim ex eo, quod inconfectum mihi opus hoc prodijisse videbatur: morem enim amicis gerens, illud in lucem non omnino libenter edideram: partim etiam ex eo, quod multum ei lucis accedere putarem, si quibusdam in eo minus congruis, concin-

nius limatis, auctius, & Rationibus Philosophicis proba-  
tius prodiret. Distrabebat quidem animo, dum cogitarem,  
cui potissimum illud consecrarem, sed constantia mea, &  
debita veneratio domus antiquissime KOMOROVIANAE  
Illust. & M. D. T. sua sit iterum dicandum: cum etiam,  
quod in rem meam maxime seruit, neminem viderem adeo  
excelsi, & Heroici animi virum, qui alacrius, promptius,  
expeditius à liuidorum hominum morsibus, & Thrasorum  
fatuorum detractoribus, famam omnium bonorum lace-  
rantibus, tueri, & veritatem in aperto reponere, ac de-  
fendere sciret, & vellet, præter Illustrem ac M. D. T.  
Quamobrem nemo mihi vitio vertet, ut spero (de tua e-  
nim M. D. certo mihi polliceor) quod eidem, cui &  
antea, nunc per exiguum opus hoc dem, & dicem. Quem-  
admodum enim ab Oceano profluunt omnia flumina, &  
in eundem relabuntur, ita quoq; à quo gratiam acceperim  
in eundem omnem officiorum promptitudinem confer-  
re debemus, & deriuare. Accipe itaq; lubens leuidense  
munus, iterumq; T. Illustri ac M. D. penates pulsantem  
libellum hunc candido, & virili animo complectere,  
in meq; seruum, & virtutum tuarum cultorem, solitum  
amorem, & benignitatem tuam continua, vel potius pe-  
renna. Vale quàm diutissime felix, beatusq; viue in Ec-  
clesiæ defensionem, patriæ propugnationem, & omnium  
proborum, ac doctorum ornamentum. Vale, inquam,  
& viue beatus, seruique tui memor. Cracouię Anno  
M. DC. XII. 7. die April.

Illustri ac M. D. tue

Addictissimus.

Sebastianus Sleskowski.



## In Detractorem,

Omnia derides quicquid comparuit unquam,  
Seu res illa gravis, siue iocosa fuit.

Scribentes rides passim, ridesq; legentes,  
Seu sedeat rides, seu quoq; stare velit.

Omnia cum rides, submissa voce monebo  
Te, tu sed tantum solus id excipias.

Mingentes ridere caue, puerosq; cacantes,  
In caput effundent stercora namq; tuum.

IOANNIS SILNICKI.

### Aliud.

Inuidiam dicunt si cuius pectore in imo  
Sederit, in tacitis ossa cremare focis.

Si cremat ossa, tuos & dentes illa cremabit,  
Nullum etenim faciunt hec duo dissimile.

Sed nec habes dentes, vix tres, quatuorue supersunt,  
Hos ad eque crepitum deperisse ferunt.

STANISLAI SILNICKI.

### Aliud.

O bone censor aue, quid nobis dicere tale

Vis? quero errorem, dicis, & inuenio.

Non hic errores venduntur, perge Clepardiam,

Errorem, & casum fors ibi resperies.

SAMVELIS SILNICKI.

### Aliud.

O detractores inter celeberrime, longum,

Dicere mi tecum mens, modo sit satis id.

R 3

Effodiant

*Effodiant utinam hæc ambo tibi lumina corui,  
Hoc factis lætus, Laus tibi Chryste, canam.*

GABRIELIS SILNICKI.

Aliud.

*Omnia cum rodas, dubito fuerisne Melampus,  
Tu tamen arbitrio Pamphagus esto meo.  
Omnia sed rodens lapidem vitare memento,  
Dentibus allisum rodere non poteris.*

PETRI SILNICKI.

Aliud.

*Ostentare soles dentes, ridendo libellos,  
Edidit in lucem quos aliena manus.  
Et ridens mittis crassum spiramen ab ore:  
Sic podex vetulæ putridæ siare solet.*

STANISLAI SIEMIANOWSKI.

Aliud.

*Ecquid (ais) nugas scribendo, perdo laborem,  
An tu Nugator fors graviora voles?*

IOANNIS GNIEWOSZ.

Ad Lectorem de ratione ordinis.

**C**Um, teste Philosopho, ordo sit anima rerum, idcirco in tres partes  
diduxisse placuit libellum. Prima prædicit, quæ ventura sunt,  
Secunda monet quæ faciendæ, vel vitandæ, Tertia exempla non vul-  
garia affert.

Index

# Index Titulorū in hoc libello contentorum.

## PRIMÆ PARTIS.

- Ratio & fundamentum Vaticiniorum.
- Commendatio operis.
- De Turcis Vaticinium.
- De Scythis.
- De Iudæis.
- De Christianis.
- De Cracouia.
- De mulieribus.
- Vaticinium ex Sphygmica arte desumptum, quo arcana suspectarum mulierum deteguntur.
- De Nouercis.
- De veris Politicis.
- De veris Philosophis.
- De Pseudopoëtis.
- De Iudicibus & Causidicis.
- De Mercatoribus.
- De crepitu ventris.
- Vaticinia duo ex Physiognomia.
- Vaticinia deprompta ex somnijs.
- Ridicula, sed iucunda quædam Vaticinia.
- De statu vitæ.
- De Rusticis.

## SECUNDÆ PARTIS.

- Vt quis nunquam canescat.
- Volentibus diu, & salubriter viuere.
- Conuiuijs.
- Cælibibus remedium.
- Vxorem ducturis.
- Melancholicis.
- Aliud salubrius.
- Diabolis.
- Piscatoribus, qui non habent retia, quales sunt pauperes Bicy, alias Rybaldi, & in villis D. D. Magistri.

## TERTIÆ PARTIS.

- Nonnullæ historiæ notabiles.

Ratio &

# RATIO ET FVNDAMEN- tum Vaticiniorum,

**N** Ondum in lucem edideram ista Vaticinia, & iam audiue  
quosdam mirari, qualiane sint, & vnde habeant suam ve-  
ritatem, cum non sint è calo. Ego vicissim statim mirari ce-  
pi cur tot & tanti viri ignorent, ista Vaticinia neq. esse rem nouam,  
neq. temerè susceptam. Cum non tantum istud, Vaticinium dicatur,  
quod desumitur ex astris, sed illud omne, quodcunq. futurum aliquid,  
posita certa, vel saltem probabili causa (vt sit in natura qua tantum  
inclinat) prædicit. Sed ne quis diutiùs (vt aiunt) auribus lupum te-  
neat, antequàm rem ipsam aggrediar, pono diuisionem Vaticinio-  
rum, ex qua facile cognoscere poterit genus & fundamentum Va-  
ticiniorum meorum. Vaticinia itaq., qua ab hominibus fiunt ratio-  
ne efficiētis, seu principij, à quo proueniunt, diuidi possunt. Aut e-  
nim proueniunt à principio

**INTERNO**, à ratione, scilicet, & intellectu hominis, qui  
homini nomen dat, & esse. Hic intellectus, vel est


**THEORICVS** respectu habito materia, ex qua Vaticina-  
tur, vel versatur circa materialia siue materia immersa corpora infe-  
riora, & ex illorum figuris, formis, effectibus, passionibus vatici-  
natur. Et talia Vaticinia vocantur Naturalia; qualia multa passim  
apud quosuis bonos autores reperire licet; qualia ex vna parte sunt  
& hæc nostra.

Immaterialia, siue à materia corruptibili separata, corpora, scis  
licet, caelestia, ex quorum motu & influxu vaticinatur Astrologus.  
Et hæc Vaticinia sunt Astrologica, de quibus ego nihil in presenti, vel

**PRACTICVS**, & Vaticinatur ex actionibus & obseruatio-  
nibus quotidiana vite de Rebus, vel priuatorum hominum euentis.  
Et vocantur Vaticinia ex moribus; qualia sunt etiam ex altera parte  
hæc nostra.

**EXTERNNO**, à communionem, videlicet, luminis alicuius  
supra naturam hominis, quo illustrata mens, diuino non humano  
more Vaticinatur futura. Siue illud lumen ab intelligentiis bonis,  
siue

*sue à magis communicetur. Taliã sunt Vaticinia Metaphysica. Ex qua quidem diuisione iam liquet hac nostra vaticinia iure merito debere dici vaticinia, & ex quo genere sint Vaticiniorum, & ordine, nimirum primo, & tertio simul. Secundum verò relinquimus Astrologis, qui ex Astris, infallibiliter inclinantibus, predicunt. Quartum verò idq̃ vltimum Prophetis, Sybillis, & spiritu aliquo afflatis. Quam verò frequens sit vsus horum omnium quatuor, lippis (vt dicitur) & tonsoribus notum est. Vt enim interim missa faciam ex astris vaticinia, quorum cum laude maxima suorum Professorum frequentissimus summopereq̃ necessarius est vsus per totum Christianum orbẽ, & de illis qua ex reuelatione sue Dei ipsius Ter. Op. Max. siue spirituum tam bonorum quàm malorum, nihil in presenti dicam, quid quaso illa consultationes Principum ac Senatorum de felici statu futuro Rerumpub. nisi quia colligunt, & presagiunt, atq̃ vaticinantur ex causis, quas mentis oculis vident, si hoc non fecerimus, hoc atq̃ illud eueniet, & contra: hoc autem nil est aliud, quàm ex moribus vaticinari. Apparet ergo hoc genus vaticinii Ethicum, seu morale, vtilissimum esse Rebusp. si florentissima futura sunt. Iam verò quòd attinet Vaticinia naturalia, quò quis sapius vaticinatur Physicè, eò etiam sapientior habetur, quò quis plures causas rerum, easq̃ melius & exquisitiùs nouit, eò doctior censetur. Admiramur ac suspicimus Medicos Doctores, cum videmus ita euenisse, sicut illi ex causis, quas viderant in agrotò, vel mortem vel sanitatẽ vaticinati sunt. Admiramur cum tot vicibus videmus operari medicamentum, quot vicibus illi prædixerunt. Magnificimus deniq̃ etiam alios Philosophos, cum videmus consequi eos effectus, quos illi, nobis non sperantibus, ex causis vaticinati sunt. Sed quoniam in re tam manifesta superuacaneum esse arbitror pluribus laborare, iam ad Vaticinia ipsa, bonis auibus, accedamus,*



# COMMENDATIO OPERIS.

Queris, quid, libro, vates edisserat, isto,  
Pellege, conquire, quæ, placitura, probes.  
Ludicra seu optas, & seria multa videbis,  
Ridicula urbani, aulica mixta iocis.  
Presbyteres, lege, si laicus, iuuenisue, senexue,  
Vatis terrigenam hoc quemque iuuabit opus.

GREGORII CZARADZKI.

## ALIA.

Differit en liber hic cunctis de gentibus, imò  
Qui casus venient non venientque refert.  
Ergo hunc volue librum lector sapere ut videaris.  
Artem si veterem queris? habeto nouam.  
Nummos incusas? emitur sapientia magno.  
Ergo sit in damno gratia grata tuo.

IOANNIS SILNICKI.

## ALIA.

Si me fortè rogas quid continet iste libellus?  
Informat mores, acta futura canit.  
Haud adsibenda fides semper, quæ nuncia celo  
Vates desumunt, quique futura canunt.  
Non semper credenda Ceres fallacibus arurs,  
Nec semper viridi concava puspis aque.

STANISLAI SILNICKI.



# VATICINIA

## Ex natura & moribus de-

prompta, de Anno Domini M. DC. XIII.

& M. DC. XIV. alijsque sequentibus.

## DE TURCIS.



Primum quidem breui verborum symmetria de quatuor nationibus perstringam. Inter quos Turcæ populi ante omnes alias se offerunt. Primus igitur qui Regis Turcarum nomen tulit, tantiq; imperij fundator extitit, à tenui Galaciæ oppido in Scythia, quod Othomanzicum hodiè appellatur, Othomanus est dictus, quod nomen postea in familiam transijt. Cœpit autè Othomanicæ domus imperium Anno à partu Virginis M. CCC. quanquam quadringentis ante annis Turcas ex Scythia profectos, in Asia sedes occupasse, compertū est: qui tamen Regem aut Imperatorem ab initio non habuerunt, vt pote qui diuisi per Tetrarchas, & regulos, cum imbellibus Asiæ populis Constantinopolitanisq; Cæsaribus suo arbitrio bella gerere consuessent: quanquā eos aliquando in vnum cōsentire coegerit communis metus à Gothifredo Bolionio vniuersæ Asiæ illatus. Colunt isti populi Maumethen, non quidem diuino, vt quidam rudiores existimant, cultu, sed eo, quo Iudæi Mosen. Hic Maumethes assererat se à Christo verbis manifestis promissum fuisse, scriptumq; esse in Euangelio: Prædico vobis post me venturum esse Dei nuncium, nomine Maumethen, spiritum veritatis, qui docebit vos omnia. Cæterum ea machinatio & callida erat & ridicula. Quippe ante Maumethis aduentum causa nulla erat, quare potiùs Maumethis, quàm Pilati, vel Iudæ, vel Antichristi nomen Euangelio subtraheretur. Falsò igitur nomen suum posuit, vbi apud Ioannem Dei spiritus promittitur. Hic idem Maumethes (vt testatur Nic: Clenardus lib. 1. Epist:) sibi, tanquam Principi Prophetarum, vires decem Prophetarum

rum in coëundo diuinitus datas esse gloriabatur, impurissimus homo. Quin & in futuro sæculo pios vxoribus mundis & absq; menstruis abundaturos, non sobolis, sed voluptatis causa: & quo quilibet vir esset melior, eò plures habiturum concubinas, & plus virium à Deo consecuturum, vt ijs omnibus satisfacere queat. Egregia, & digna Principe porcorum prophetia. Præstat autem hæc gens fera hæreticis, qui ex nobis fiunt, vel ob hæc ipsa duo. Primò: Quia Turcæ de Sanctis Dei, sed præcipuè B. V. Maria, piè, vt par est, sentiunt, & honorificè loquuntur: hæretici verò eam instinctu afflatuq; Diabolico, vt pote cuius caput (serpentis) contriuit, blasphemant. Sic n. scriptum legitur in Alcorano eorum: Dixit Angelus Gabriel ad Mariam: O Maria Deus te elegit, & docuit te gratiam, & ab initio præelegit te præ omnibus alijs mulieribus omnium sæculorum, & posuit te tanquam nouum medium inter homines terrenos, & Angelos Dei in paradiso deliciarum. Secundò, quia Hæretici omnes vbique locorum semper faciliùs tolerant Turcas, quàm nos Catholicos. Quod anno proximè præterito, quidam eorum in castrensi lapidea, cùm non posset amplius suum virus hæreticum retinere, claris verbis fassus est, se, nimirum, malle hinc Cracouiæ videre templa Turcarum, & Scytharum, quàm vnum Catholicorum. Deniq; experientia ipsa docet. Turcæ n. plurima templa Catholicorum patiuntur, & permittunt esse Hierosolymis, Constantinopoli, & alijs in locis sui imperij, cùm possint ea funditus euertere atq; tollere: Hæretici verò statim, vt ius potestatemq; imperandi alicubi habuerunt, templa Sanctæ orthodoxæq; religionis fecerunt speluncas latronum, & stabula porcorum. Prognosticon hoc de illis verum esse potest: Armis imperiũ suum, donec durabunt, tam defendere, quàm proferre conabuntur, quod conijcere nullo negotio quiuus ex eo potest. Quoniam vetus atque perpetuum eorum institutum est, vt intranti templum supplicandi causa imperatori, Talismanus ædituus sacerdos occurrat, claraq; voce pronunciet, vt meminisse velit, imperium, quod iustitia & virtute bellica partum sit, non alijs quàm iisdem artibus conseruari propagariq; oportere.

## DE SCYTHIS.

**S**Cythia est regio septentrionalis latissima, in duas diuisa partes, Europæam, & Asiaticam, vtriusq; variæ ac prope innumerabiles gentes. Sciendum autem est, Scythicum imperium non tantum antiquitate



antiquitate, sed etiam vastitate locorum & numerositate gentium suarum longè superare ditiones Turcicas: siquidem ipsi inter se non modò loca regionum, verùm etiam nomina illarum videre nequeunt, nedum nos Christiani. E quorum numero, Georgi, & Alani (teste Sab. lib. 6. En. 10.) Scythæ sunt. Pars regni huius trium dierum circuitu, tam densa obducta est caligine, vt ob tenebrosam speciem, nemo locum subeat, nec cernere sit aliquid in ea densitate tenebrarum. Qui in proximo habitant, exaudiri aiunt inde voces hominum, & gallorum cantum, hinnitum equorum, nec horum quicquam videre, regionem ipsam Anisen vocari. Fluit ex ea terra amnis, qui suo inuectu arguit locum non esse sinè humano cultu. Haytonus, qui ad hæc vsque loca se peruenisse ait, auctor est in Georgianæ gentis monumentis proditum. Christiani cultus manum ingentem in ea olim loca compulsam impia Saurini Regis Persarum infectatione. Cæterum cum hostile ferrum fugientium ceruicibus immineret, miraculo euenisse, vt profuga multitudo, tenebris sit repentè obsepta, in minutissimi valli speciem. Ex quo iam non difficile est diuinare Tartaros non fore quidem cupidos dilatandorum imperij sui terminorum, sed auitis, modò illas in pace retinere possint, contentos futuros. Verùm tamen illi feri ac furiosi latrones contendunt, atque elaborant, sequentibus annis in vicinum illis regnum, quod est Poloniæ, excursiones perpetuas facere, vt multos opibus spolient ac denudent, ciuitates, oppida, rura, ac pagos exurant, pecudes abigant, plures trucidant, plurimos in captiuitatem abducant. Quos tamen per Dei gratiam, nisi fortè discordia, interitus Rerump. obstiterit, fortiter resistendo, & penè quotannis cædendo, nostri à conspectu suo longè remouebunt, & in vastis illis solitudinibus quasi obligabunt. Nec, vt voti sui compotes fiant, in Germaniam, totamq; Christianitatem, quam veluti murus ab excursionem Turcarum, Tartarorum, & aliarum vicinarum gentium tutantur, perumpere patientur. Quo nomine multum se fateri deberent Polonis vix grati in Poloniam, siue eius incolas, Germani.

## DE IVDÆIS.

**S**equitur vt de Iudæis factis aliquid perstringam, quos Saturnus, consensu omnium Mathematicorum, designat. Quinq; verò, eaque detestabilia scelera Iudæorum (omissa infinita colluue sordium illorum) notare mihi visum fuit. Primum Machinabuntur ad-



huc fraudes, dolos, imposturas, & quod maius est, multos spoliare fortunis, trucidare fœnore contendent, sed eis non succedet, propterea, quia Saturnus Iudæorum Planeta in multorum Christianorum domibus sequentibus annis decurrens, docebit eos hanc eandem artem Iudaicam, ita, vt illis diebus non facilè queas dignoscere, vtrum plerique nostrorum iocò, vt in comœdia, an seriò, Iudæos agant. Veniet enim tempus, quando non soli Iudæi, verùm etiam multi Christiani pecuniam suam in fœnore collocabunt. Sed quid dico veniet? Iam venit. Nam ante 5. annos scio quendam Ciuem Polonum in tractu Cracouiens. datis fœnori florenis quadringentis, ex eadem pecunia fœnus centum flor: sibi accepisse, ab altero nobili. Itaq; factum est, vt qui volebat mutuos accipere quadringentos florenos, quot nimirum opus habebat, trecentos accepit. Qui quidem fœnerator est mihi benè cognitus. Sed ne ei constare inuidiam videar, potius subticendum esse duxi. Nam vt corpus vmbra, sic virtutem sequitur inuidia. Est scilicet hæc non postrema politica virtus quærendi opes. Audiui & alterum quendam hoc idem facinus patrauisse præterito anno, cuius etiam nomen, eandem ob causam, silentio inuoluo. Veritas siquidem odium parit. Hoc est primum scelus Iudæorum exitiale, quod hac infelici senectâ mundi Iudæi communissimum habent cum plurimis Christianorum. Cui quidem sceleri iam paratus est ignis æternus, iam enim omnes huiusmodi iustissimo Dei decreto iudicati, & nisi resipuerint, condemnati sunt per Prophetam. Quærit enim ille in spiritu: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Tandem respondet: *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram.* Fœneratores, tanquàm isti soli essent peccatores, in sacra scriptura, omiſſis alijs, prædicantur esse alieni, atque inepti Regno Dei. Alterum atrox facinus horum canum famelicorum est, per totum orbem cædes puerorum Christianorum. Anno Domini 1494. in Vngaria Tiruania Iudæi seniores cum Christianum adolescentem occidissent, & scelus patefactum esset, comprehensi, & vincti, antequam pœnas darent, cruciatibus adacti, quatuor causas facinoris fassi sunt. Prima, Gratia circumcisionis, quòd hominis Christiani sanguis intra circumcidendum præputio illicitus, sifteret cruorem, & saluberrimo adiumento foret. Altera, fauorum: Nam si in ferculo alicui daretur ad comedendum, ad conciliandum animum admodum conferret. Tertia, Menstrui: Nam cum inter eos viri ac mulieres menstruum sanguinis profluuium iuxta patianrur, epoto Christia  
ni sangui.

ni sanguine illico liberantur. Quarta, Consuetudinis, reconditiq; de-  
creti, apud eos enim clam decretum erat, vt quotannis in aliqua regi-  
one Iudæi Christianum Deo sanguinem libarent. Tertium horren-  
dum ac nefandum scelus recutiti gregis, Vatinianum odium in Chri-  
stum Dominum, Deum & hominem, verū Messiam. Vbicunq; enim  
subolsederit vestia præsentis illius, quærit eum trucidare, quærit a-  
nimam innocentissimi pueri, cum crudeli Herode, in diuinissimo Eu-  
charistiæ sacramento, quem ibi præsentem adesse credit, eripere. Te-  
stis est Casimira Cracouien: testis Posenia, testis Bochnia, & a-  
lia multa loca, quæ recensere non est præsentis negotij. Vos vos o  
Magistratus supremi appello. Si quem certò persuasi essetis volūate  
peruersa & obstinata furari cupere Principem aut Regem vestrum, si  
demum huius Principis vestri vitæ aut honoris insidiatorem noueri-  
tis aliquem, nonné eum continuò acerrima morte è vita tollendum  
esse duceretis, & decerneretis? Hic est Rex, hic Princeps vester Chri-  
stus Dominus, hunc Iudæi non semel sunt furati, huius saluti & ho-  
nori non semel sunt insidiati; imò occiderunt, interfecerunt, trucida-  
runt, & hucusque insidiantur. Cur per Deum immortalem quos iam  
pridem cruci affixos esse oportuit, liberos per regnum vestrum vaga-  
ri finitis? Tollite malum de medio vestri, & manus vestras sanctifica-  
bitis. Quartum scelus; videmus nonnullos verporum, causa sui tur-  
pissimi lucri veste clericali, in dedecus sacri ordinis, abuti. Hoc auté fa-  
ciunt, non nisi, qui sese corâ imperita plebecula iactant atq; ostentant  
Medicos, hacq; veste sola sibi opinionem aucupantur. Vulgus enim  
ex veste iudicat. Vnde est illud, quòd omnes togatos ac palliatos, sa-  
cerdotes appellet, etiam si non sint. Cuius quidem rei callidus Iudæus  
non ignarus, in ouium vestitu, vt ita dicam, medicum sese insinuat in-  
gratiam miseræ acieiuæ plebeculæ in Polonia. Sed, proh dolor, cur  
tantum malum viget in polonia? cùm in alijs regionibus, vbi leges di-  
ligenter ac religiose custodiuntur, hoc facinus Iudæum impium pa-  
lo affigit, & ad mortem malæ crucis adigit. Adeò Iudæus nusquam nõ  
imponit. Pudet quidem dicere, sed tamen in medium proferam. An-  
te annos aliquot, cùm primùm mediâ Quadragesimâ Cracouiam ve-  
nisssem, nec adhuc fortè quempia nossem, veni in ædem Diuæ Mariæ,  
vt tanquã verus Catholicus, confiteri possem peccata mea, sed cùm ne-  
minè Sacerdotum reperissem, exiui. Interim dum oculos conijcio in-  
turbam, ecce Iudæus ante ipsos fores templi adest, amictus veste sa-  
cerdotali, Doctorem sese medicum iactans, ultra progredi timet, ne

in Scholaribus, quibus est perpetuum cum Iudæis odium, interturbetur. Inscius conditionis ille cuius fuerit, & generis, reuenter apertocapite, accessi ad eum, & rogavi, vt confessionem meam, pro suo pastoralio officio, exciperet. Expalluit ille præ timore: Verebatur enim, ne ex eo pœnas sumerem, propter pudorem, quo vehementer suffusus eram, & cuius ipse causa erat mihi. Quocirca quæro ex vobis ô Antistites, cur hoc cedit illis impunè, quòd contra promulgatas leges eiusmodi vestitu, in contemptum Sacerdotum, superbiant, & publicè eis amicti incedant? Cur non pœnam contumaciæ subeunt? & recutitus à toga & pallio ad tunicam, & crocatam detruditur? Quintum denique scelus gentis perfidæ, quia cum sciat, & credat, iam in mundum venisse, & cum hominibus palàm conuersatum fuisse verum Messiam suum, Christum, scilicet, IESVM Dominum nostrum, mundi saluatorem, ac omnia, quæ de illo Sancti prædixerant Prophetæ, impleuisse, propter inexpugnabilem mentis suæ puerilitatem, & pertinaciam, non vult eum adorare, sed fingit scilicet expectare. Sic enim ex Suida Græco, Doctore antiquissimo, excerptum Laurentius Valla interpres Latinitate donauit illustre quoddam exemplum Philippi, Aulici Cæsaris Iustiniani, Iudæum Theodosium ad Christi fidem reuocare conantis, & secreta Iudæorum sibi aperientis, in hæc verba cum refert. Temporibus Iustiniani Cæsaris, Christianorum optimi, electus erat Princeps Iudæorum, nomine Theodosius. Is erat Cæsari, & pluribus alijs, in aula bene notus, præ cæteris tamen singulari perpetuoq; amore complectebatur Philippum. Et verò cum sæpenumerò Philippus Theodosium admoneret, vt reiecta supersticiosa infidelitate Iudaica, in Christianorū numerum inscriberetur, & fidem veram Apostolicam, & Catholicam profiteretur. Quodam tempore familiarius cum eo agendo, liberè dixit illi: Cur tu, cum sis Doctor prudens, & legisperitus insignis, Prophetias omnes de Christi aduentu impletas, & consummatas esse non ignorans, Catholicam tamen fidem non profiteris, quæ te in statum vitæ æternæ inducere possit? Proinde cum tibi scripturæ passim sint obuiæ, confide in Deo salutari tuo, & Domino nostro IESU Christo: nam qui non credit in nomine eius, igne æterno cruciabitur. Interim Iudæus ad hæc sic respondit: Grato id accipio animo Philippe studium tuum cupiens me in viam salutis inducere, iuxta professionis Christianæ institutum: vnde, quid tibi dicam, tanquam starem in conspectu Dei æteroi, sic religiosè me audire velis referentem. Certò scio, & nullatenus dubito Ieluma

to IESVM CHRISTVM NAZARENVM, qui in lege nobis & in Prophetarum scripturis erat promissus, quem Prophetæ prædixerant venturum esse verum Dei Filium, iam & venisse, & in medio nostri fuisse, quem vos Christiani summo honore colitis, & oratis in nomine eius; verumtamen fragilitate humana circumventus, Christianam non profiteor religionem, & reluctor temerè: quoniam nunc quidem cum sim Iudæus, etiam Princeps vocor inter Iudæos, & summè obseruor, omnibus affluens diuitijs, & copia rerum abundans, quæ beatum me in hac vita efficere videntur. At verò si Christianus fierè, omnibus his bonis priuaret, quæ vitam florentem, & felicè faciunt. Hincq; licet Patriarchâ me crearent Christiani, certè non tantam fortunarum quantam nunc accessionem haberem. Quocirca cauens, ne istas mundanas diuitias amittam, futuram vitam contemno, & aspernor. Nihilominus tamen, vt facilius dictis fidem adhibere velis, constantissimæ amicitia nostræ plurimum attribuens, aperiam tibi abstrusa, & profundissima arcana Iudæorum, quæ inter nos Iudæos abscondita sunt. Nos equidem certo certius scimus, Christum, quem vos adoratis, & diuinum ei cultum desertis, eum esse, quem nobis lex & Prophetæ prædixerant. Idque nobis sole clarius patet, non modò ex eo, quod de illo in scripturis obuium est legitibus, sed etiam ex abscondito arcano, & nemini vnquam diuulgando mysterio, inter nos Doctores primarios religiosissime seruâdo: quod ego tibi hodie, vt amicorum optimo, & integerrimo, patefaciam. Illo antiquo sæculo, dum templum Hierosolymis esset constructum, erat de more positum apud Iudæos, viginti seniores Sacerdotes Ecclesiæ ministerio destinare, nempe totidem numero, quot sunt literæ in Alphabeto, vnde etiam & viginti libros sacra scripturæ recipimus, & numeramus: ad vnumquemque enim librum explicandum vnus Sacerdos deputabatur, simulq; nomè & cognomeneus inscribatur. Et verò cum è vita migrasset aliquis ex Sacerdotibus, superstites, consilio facto, in templo Hierosolymitano alium substituebant in locum demortui, numerum Sacerdotum suppletes, electumq; in libros inscribabant, vt patet in exemplo. Eo itaq; die defunctus erat Isaac Benjamin Abrahami & Saræ filius, in locum eius successit Samuel Ezechiel Salomonis, & Vriæ filius: quæ quidem consuetudo apud Iudæos hucusque durat. Accidit autem eo tempore, cum Iesus in Iudæa degeret, mortuus est quidâ ex 20. Sacerdotib. priusquam Iesus innotesceret mundo, & doceret, vt crederent in eum, conuen-

C

tunt Iudæi

funt Iudæi, vt eligerent alium, & quilibet eorum suffragium daret, sed cum post multas verborum ambages constare sibi non possent, & votis concordare non valerent, quidam ex eis legislator surgens in medio illorum inquit: Patres seniores, multorum equidem mentionem fecistis, verumtamen nullum hoc munere dignum iudicatis. Ego itaq; filium Iosephi nomino, & in eum consentio: ætate quidem iuuenem, sed probatissimis moribus excellentem, & doctrinâ perfectum, ac insignem, ita, vt nullus ei par inueniatur profectò, tam in scientia scripturarum, quàm in perfectione vitæ, & morum integritate: quod omnibus Hierosolymis inhabitantibus notum est. Id dictum audientes omnes alij Seniores Patres approbauerunt. Iesumq; Nazarenum inter Sacerdotes connumerauerunt, ac dignum præter omnes alios Sacerdotio iudicauerunt. At verò cum quidam ex eis assererent, eum non esse ex tribu & linea Leui, sed ex progenie Iudæ, nemini enim Sacerdotij dignitas seruiabat, nisi qui originem inde duceret. Sacerdos hic respōdit, tribus istas esse inter se commixtas, & inde genus Iosephi procedere. Quod cum dixisset, confirmauerunt IESVM NAZARENVM electum in locum defuncti Sacerdotis. Et quia hic mos erat, vt non solum nomen nouiter consecrati Sacerdotis in libros inscriberent, sed etiam nomen Patris, & Matris; aduocata erat mater eius ad Synagogam, vt palàm diceret, quis esset, & ex quo Patre susceptus, quoniam vocabatur filius eius, iam enim Iosephus Pater eius è vita excesserat. Respondit Maria: Confiteor coram Deo æterno, & coram vobis Seniores Patres, IESVM esse filium meum. Sed cum Patrem in terris non habeat, hinc vel maxime perspicere potestis, quia ego virgo existens, virum neutiquam agnoscens, Prophetam Esaiam legens, Angelum de cælo nunciantem mihi filium audiui, & nomen filio imponentem, sicq; virgo concepta virgo peperit, virgo permani. Percontabantur illi: Maria dic liberè, cuiusnam sit filius, vt si nomen eius inscribamus: qui n. parentes eius à te nuncupati fuerint, illi inscribentur. Maria respondens dixit: Reuera ego illum peperit, sed nescio patrem eius in terris: ab Angelo tamen audiui eum esse filium Dei. Quod cum dixisset Maria, allati sunt libri, in quibus scriptum erat: Die N. è vita excessit Sacerdos filius N. in eius locum, omnium Sacerdotum concordantibus votis, electus est IESVS filius æterni Dei Mariæ virginis. Isti libri tempore excidij Hierosolymitani maxima cum diligentia Sacerdotū asseruati erant, nunc autem sunt Tiberiadi, sic dicta ciuitate; de quibus quia

pauci Iudæi sciunt, saltē hi quibus creditur, & mihi, vti primario Doctōri, clam reuelatum est. Itaq; non modò ex lege, & Prophetarum lectiōe scimus euidenter, Christum, quem vos adoratis, esse filium Dei viui, & propter salutē mundi in terras descendisse, sed etiā ex lectiōe scripturæ illius, quæ est Tiberiadi. Quod cū dixisset Iudæus, illicò Philippus zelo pietatis ductus ad Cæsarem ire properat, illiq; id, quod protulit Iudæus, reuelare, vt quàm ocissimè libros Tiberiade asportare iuberet. Respondit Iudæus: Impossibilia tentas, mille mortes Iudæi potius patientur, quàm eos libros prodere fas ducent. Quòd si infortunio & calamitate aliquā premantur, libros igne cremabunt, & perdent omnino. Quare non sis causa multorum malorum, ego enim tibi, vti amico fidei, hæc communicavi nemini vnquam effutienda, vt scias, quia non ex ignorantia, sed vana quadam gloria, & rerum habendarum cupiditate, Christianam fidem repudio, & respuo.

Interea Philippus dictis fidem adhibens, nihil Cæsari retulit, vt ne Cæsar, optimus Catholicus, frustra magnam stragem edere conaretur: amicis igitur saltē id aperuit, & rei veritatem edisseruit. De hac scriptiōe Sacerdotum extat locus in libris Iosephi Iudæi de captiuitate Iudæorum, (quem citat sæpè Eusebius Cæsariensis in Chronicis) dicentis Iesum in templo consecrare populum solitum esse cum alijs Sacerdotibus. Quòd cū inuenissem in libris Iosephi Doctōris antiqui, & non multo tempore videntis post Apostolos, volui etiā id sacris literis confirmare. Legitur enim in Euangelio Lucæ, Dum venisset Iesus in Lycæū Iudæorum, datum fuisse ei librū, in quo legit Isaïæ Prophetiam: Spiritus Domini super me, ideò, quia vnxit me, vt Euangelizem pauperibus, misit me, & de me intelligendum. Quod si Dominus Iesus nullum Sacerdotij officium habuisset, procul dubio inter Iudæos non illi datus fuisset liber, vt in Scholalegeret, & in templo postmodum populo prædicaret, cū neq; Christianis liceat in templo concionari, nisi qui legitime consecratus ab Episcopo, & ministerio Ecclesiæ deputatus fuerit. Quapropter iure merito credendum est, verum protulisse obduratum Iudæum de Christo Domino.

Hæc ad extremum de Iudæis verissimè vaticinari audeo. Eos nimirum inani spe alii. Petrus enim Cluniacensis lib. 2. contra Iudæos Cap. 5. auctor est, Iudæos stolidissimos promissionem Abrahæ factam de multiplicando semine eius sicut stellas cæli, & arenam

maris referre ad tempus cū Messias venerit, & eos in sanctam terram reduxerit. Tunc n. quamlibet mulierem eorum, quolibet die filium parituram. Hæc de Iudæis maledictis.

## DE CHRISTIANIS.

**I**am venio ad Christi cultores, qui nomina sua vero Deo dederūt vt quid illis desit perspiciant tempestiuè, antequam eos Tartarus rapax absorbeat. Christiani igitur sunt duplices. Alij veri, & hi sunt boni Catholici. Alij non veri. Non veri rursus duplices sunt. Alij qui nec videntur esse Christiani, nec sunt, & hi sunt Hæretici omnes omnium sectarum. Alij qui videntur quidem esse, & non sunt, veluti rustico orichalcum aurum. Et hi quidem sunt mali Catholici, qui etiam in sacris literis designantur per paleas tritici. Horum omnium est imago & similitudo in corpore nostro expressa. Nam quemadmodum in nostro corpore alia sunt membra: vt, caput, thorax, manus, pedes, & aliæ minutiores partes. Item, sanguis, ossa, cæteræq; similes partes, quibus sanis, nobis bene est: Ita quoque in Ecclesia sunt primò boni Catholici, qui credunt Deum esse trinum in personis, vnum in essentia, qui vnā sanctam Ecclesiam Catholicam Romanam Apostolicam puro corde, ore, & opere profitentur. His sancta mater Ecclesia tanquam proprijs membris gaudet, ac delectatur. Et sicut in eodem nostro corpore sunt humores prauis ac noxijs: vt, cholera, melancholia, phlegma: & excrementa, vt stercus, vrina, mucus, sputum, sudor, quæ corpus tanquam sibi nociua ac contraria expellit. Hæc autem antequam egerantur, vehementer nos excruciant, eiecta autem omni dolore leuant: Sic etiam Ecclesia Dei antequam molestissimum onus hoc & tormen ventris sui (hæreticos nimirum) deiiciat, grauissimè eam affligi excruciarique est necesse. Iam verò vt deiiciens non potest non perfundi gaudio, dum sentit se onere leuatum esse: pari ratione, dum fætida ista excrementa (qualia erant illi non bipedum modò, sed quadrupedum etiam impurissimi Diabolicæ sectæ assertores: Arius, Hus, Caluinus, Lutherus, & sexcenti alij hæreticorum antesignani, & infernales titiones) mater Ecclesia ex gremio suo, tanquam ex aluo cum mordicatione foras egressit, & gehennæ destinauit, gaudet, vehementerq; lætatur. Deniq; sicut in corpore nostro sunt multæ superfluitates: vt sunt pili, vngues, verrucæ, & id genus alia, quæ quamuis non sint membra nostri corporis, tamen ex eo profe-

cta, ad



ta, ad illius ornamentum pertinere videntur. Et quoniam hæc non cruciant quidem, sed, producta supra modum, leuiter molestant, idcirco solent radi, præcidi, atque foras, vel in ignem deijci: Non secus mali Catholici, etiam si partes nostri corporis, & membra capitis eiusdem quodâmodo esse appareant, non tamen ob hoc sunt: Et quoniam excreti & multiplicati inter nos deformant, deturpantq; corpus Ecclesiæ, idcirco præcisi ac in fasciculum colligati in ignem proieciuntur, tanquam nulli vsui apti. Agè verò, vt hæc omnia, quæ hæc tenus de Christianis dicta sunt, alicui vsui nobis esse possint, vaticinijs posthabitis, Medicum agam. Ad vos igitur ô viri in magistratu positi, verba facio, vos mea spectat oratio. Si vultis futuris annis laniati vestræ bene consulere, nec ad mortem ægrotare, hanc, quam vobis medicinam assero, sumite. Purgate corpus hoc vestrum, potestis enim, saltem velitis, Ciuitatem intelligo, noxijs humoribus, scilicet hæreticis, qui sunt sentina omnium malorum, perpurgate, & perfecta sanitate perfruemini. Præscindite vngues nimis prominentes, radite cesariem capitis vestri. Quod vos tunc primum præstitisse existimabitis, cum eorû, qui in Catholicorum bonorum palliolo tanta patrant scelera, quanta ne inter gentes quidem, feras illas, & barbaras, audita vnquam fuere, non cultro vngues præscindi, non capillos nouacula radi volueritis, sed manus securi amputari, capita nebulonum actenebrionum omnium, gladio, quem gestatis ad vindictam malorum, & defensionem bonorum, decollari contenderitis.

## DE CRACOVIA.

**I**NCOLÆ & habitatores Cracouiens: proximo & sequentibus Iannis non poterunt, tutè & tranquillè, ac placidè vitam degere, propter aspectum Martis: Duobus enim ingentibus prementur malis. Quorum primum erit bacchatio: Instabunt enim quidam furiosi grassatores, imò potius latrones, qui à prima face noctis, vsq; ad primum sæpè diluculum omnia loca, omnes plateas, vicosq; circumuehentes, in eos, quoscumque armis, & viribus sibi impares deprehenderint, vel etiam quos imbelles agnouerint, sæuentium instar ferarum, debacchabuntur: eos verò, qui sibi superiores visi fuerint, non aliter atq; oculi nocturæ lumen solis, aut Crocodylus persequentem se effugient. Sunt enim simillimi Crocodylo, cuius hanc ferunt naturam, vt persequentes se fugiat, fugientes autem pernicissimè persequatur

sequatur. Equidem ræce illa & colluione hominum ( quos passim Clepardienses milites vocamus ) sub concauo lunæ quid potest esse vilius ? quid abiectius ? quid sordidius ? In quos verè illud quadrat : *Nos numerus sumus, & fruges consumere nati.* Cùm enim labores hominum isti gurgites ac voragines depascant, ac helluentur, ipsi verò in commune sua opera nihil conferant, tantum singuli, singulis diebus annonæ ciuitati liguriunt, quantum vno die inuitati conuiuæ 365. cõsumerent. Vndepater, si sint eiusmodi homines centum ( sunt autem mille ) quantum bonorum hominum panis singulis diebus auferant ac deuorent ! Interdiu vsi ac lupi isti carniuori in receptaculis suis delectent, quandoq; etiam speciem bonorum simulantes ac gerentes, in solem procedere non verebuntur, conuersariq; cum hominibus audebunt. Hespero autem oriente, se ex iisdem repentè, tanquam serpentes è latibulis suis, efferent. His non erit nouum, vestibus, nullo habito respectu sexûs, ætatis, conditionis, dignitatis, exspoliare, imò ( proh dolor ) denudare. Memini Anno Domini 1609. in platea Sutoria cuiusdam ciuis famulam, missam allatum cereuisiam suæ heræ, vbi extralimen primâ noctis egressa est, illico omni vestitu priuatam ac spoliatam fuisse : Clamauit illa, væ ingeminabat, nil profecit. O si aditisses tunc, quasi rursus ex vtero materno recens prodijisse eam videre potuisses. Non erit prætereā nouū, simulare se cum alijs armis decertare, iaculari, nonnunquam, vt commodiùs, quod est intus reconditum, furentur, effringent multorum fores, auellent claustra, non erunt pigri, ad cantandum, clamandum, vociferandum, ne deferatur strepitus ac stridor ad aures patrisfamilias, suorumuè quempiam. Has sordes ac fæces Ciuitatis, quidam, aliàs honestiores, imitantur, non quidem causa furandi id facient, sed quia, decepti similitudine ( cùm præclarum sit gerere bellum contra hostem Patriæ ) speciosum quoque illi putabunt in via lapidea militare. Et est captio Sophistica. Hoc non possum satis mirari quosdam Thyrsiferos, qui quamuis diligenter Elenchos Arist: audiuerint, vnico tamen hoc sophismate tam facile illaqueentur ac irretiantur. Plures tamen ab aulis, negotij inopia, debacchabuntur: Paucissimi omnium artifices manuales. scient enim se non ad bacchationem, sed magis ad crepidam esse natos. Huc accedet, quòd edoeti suo, suorumq; periculo sapient, iuxta illud : *Phryx plagis melior.* Tenebunt enim recenti memoria, quæ ab his omnibus, quos supra enumeravi grassatoribus, annis superioribus, dum tempore nocturno saxa volabant, acceperunt. Ante ali-

quot

quot annos incidi in quendam magnum atq; honestum virum, qui mihi certo certius affirmabat, priscis sæculis hæc Legato S: C: Maieſt: accidisse. Hic missus erat in Poloniam ad Sac: Reg: Maieſt: qui vt Clepardia pedem fixisset, conspexit furiosorum & bacchantium virorum multitudinem, quorum quidam ( vt nostris mos est ) vociferari, quidam quasi ebrj, minitari, quidam ad arma prouocare, gladios euaginare, quidam multitudinem plebis in fugam vertere cœperunt. Tantis malis perterritus Germanus, ex equo decedit, & in fugam se coniecit, ratus enim intestinum & ciuile bellum exortum fuisse ( nunquam enim antea fuit in Polonia ) ac ob id vitam suam in medium periculum proiectam, vt saluus & incolumis euaderet, subito Cracouiam se recepit. At cum & illic non absimilia conspexisset, quosdam enim bombardas explodere vidit, quosdam se quasi insequi aduertit, miser vehementi terrore perculsus, in templum D. Marci profugit, & ceruo velocior ibi se abscondit, existimans se ibi periculum euadere omne. Et ecce Monachus quidam eiusdem conuentus incola, forte fortuna pertransiens ( missus enim erat à superiore petitum elemosynam ) in platea grauius vulneratus, ducitur in Monasterium, vix incedit, sanguis listi non potest. Quo animaduerso Germanicus ille Orator, hæc in animo suo cœpit cogitare: *Si domestico, & quod maius est, sacerdoti, præterea imbelli Monacho, qui nulla secum gestat arma, non est parcitum, qua ratione ego, cum sim alienigena, hic tutus esse potero? Ergo cursu præpropere in arcem Regalem euolabo, tanquam locum tutiorem. Nec multum itineris confecit, & iam iterum videt in foro iacentem occisum hominem, eminens hominum turbam aduertit grassantium, gladios stringentium, passim in obuios debacchantium. Tandem secum ipse sic loquitur: *Iam non est cur dubitem, quin arx Regia sit clausa, vt Senientissimus Rex ab incurſione istius vulgi indomiti, & seditiosi sit liberior. Non mihi ad eum patet interim aditus. Quocirca reuertar ad Sac. Caesar: Maieſt: & omnia quæ oculis meis vidi, quæ auribus hinc audiui, referam. Qui cum rediisset, flexo poplite coram S. C. M. in hæc ferè verba prorupit: *Primo omnium ò Caesar inuidissime, Deo tantas quantas mente concipere possû, ago & habeo gratias, qui me hucusq; illa sum, & incolumem reduxit, nec manibus seditiosorum hominum discerni permisit. Deinde nuncio tibi misererrime esse faciem Ciuitatis Crac: plena est tumultu, plena seditiosorum hominum multitudine, plena bello intestino, ac domestico. Nulla pax ibi viget, mortaliu generi placidissima, non tutus in plateis transitus, non in priuatis adibus commoratio, non in templis, vbi Deus Opt: Max: solet adorari, & pia mente***

coli, vlla

coli, vltia quies habetur. Arcis Regia porta omnes occlusa & obstructa sunt, vnde nemini licet ad Regem accedere. Idcirco eni ego rebus infectis coactus sum redire ad S. C. M. T. & hac tibi nūciare. His auditis Cæsar infremuit, & tristatus est vehementer: & turbato erat animo. Interim quidam Polonus nobilis, non ignarus legum Patriæ suæ, morumq; populi, qui tunc in aula Cæsaris commorabatur, volens persuadere Gentem Polonam excelsi esse animi, nec adeò horridam & barbaram erga cæteras gentes, hac oratione animum Cæsaris mœrore leuauit, sicq; eum blandis verbis aggressus est detinere: *Eslo bono animo & placabili ò Cæsar inuicibilissime, neq; quicquam pertimescas de Polonia, aut inhabitantibus eam, tantam tranquillamq; pacem Serenissimus Rex, Senatus, & populus Polonus trahit. Non bellum, non ciuilia dissidia, sed mores & validi pectoris ausus vidit hic orator. De more enim & antiqua consuetudine est receptum apud nos vt onustus multis & varijs armis vir militaris incedat, ita vt si videris, potiùs vendere velle, quam illis vii, dixeris. Militia est stolidorum intra muros iaculari: fortitudo in foro cades agere, & stragem ingentem edere: laus imbelles armis repellere, fugare, auertere: claustra auellere: virtus, siue plebeium, siue nobilit occidere, ignauiã proprijs viribus aduersarium suum non vicisci, sed eum in ius vocare. Taceo peiora. Hæc & similia, cum illa sua satis disertæ oratione (vt erat orator in aula Cæsaræ præcipuus) Polonus narrasset, atq; in laudes eximias Gentis suæ excurrisset, omnes simul fremebât, suspensiq; & quasi obstupesceti stabant. Tandem Cæsar ridere, omnes cachinnari, legatum libilis excipere cæperunt, eò quòd talis casus minùs rem ipsam consideranti euenisset. Ac vt eò iam vnde digressus sum, reuertar, aio. Si magistratus volunt, vt Ciues sui ocio fruantur iucundissimo, commodissimoq; siq; cupiunt, & remis (vt aiunt) velisq; contendunt, vt fabulam hominum euadant, & risum exterarum nationum euitent, perpurgent ciuitatem suam, eijciant lutum fætidum eius, eluant sordes vbiq; scatentes, aliàs non erit pax. Secundum multò execrabilius malum premet atque vrgebit hanc ciuitatem, perpetua discordia, certus Rerumpub. interitus. inter ciues regnabit. Cuius causa erit diuersitas cultus Deorum. *Qua enim participatio iustitiae cum iniquitate? Aut qua societas lucis ad tenebras? Quae autem conuentio Christi ad Belial? aut quae pars fidei cum infidei? Qui autem consensus templo Dei cum Idolis?* Dominabitur autem tamdiu hoc malum, quamdiu vel vnus in ciuitate manebit, qui religionem puram & orthodoxam fidem Romanam velit conspurcare. Quoniam posita causa, ponitur effectus, & sublata eadem, tollitur quoque, vt*

Philosophus verissimè dixit: Non est itaque sapientis putare, vt durantem causam non possit effectus consequi. Sed quid opus est multis? Commemorate vobis omnes tumultus atque seditiones ciuitatis huius vestræ, ab illo anno infelicissimo incipientes, quo primùm hoc genus Gabaonitarum à Tartareo Orco emissum apud nos peregrinari cæpit. Commemorate, & inuenietis nullam seditionem maiorem, & vobis periculosiorem vnquam accidisse, quàm eam, cuius causa Hæretici fuere. Vidistis oculis vestris innocentissimum sanguinè, proximè præterito, id est, 1611. anno, à rabida Hæreticorum frendentium colluione passim effusum esse. Hi enim lupi, ne viderentur exuere vestitum ouium, non ipsi omnes suis manibus cruentis & sacrilegis, sed precio conductis ac mercenariis, illam quam semper spirant, siue conuiuentibus, siue annuentibus ijs quos prohibere potius decebat, eadem & occisionem Christianorum fecerunt. Et cum neminem Catholicorum sibi resistere, ne dicam vim aliquam inferre, vidissent, suam verò insatiabilem crudelitatem iamiam exercere, ad id eos instigante Caco dæmone, decreuissent, quosuis obuios Catholicos sine delectu necandos trucidandosque denotauerunt. Nostis enim quàm fortes sint milites pueri, tamen horum illi non paucos reuerati iaculis & bombardis traicerunt. Nostis quàm pugnax vita Sacerdotum, tamen quandam presbyterum, vitæ integerrimæ, ac innocentissimæ hominem, ad ædem omnium Sanctorum Vicarium, in medio cæmiterio horas Canonicas recitantem, grauissimis vulneribus affecerunt. Hæc sunt funestissima initia, quibus nisi in tempore occurreritis, actum de vobis. Nam præter incommoda assidui tumultus, tales erga vos ministros ventris sui cognoscetis, quales vicinæ, & aliæ plurimæ gentes remotiores, expertæ sunt. Cauete igitur, si qui tales estis, ne cum Iuda Iscariote religionem Catholicam, Christianam, atque ad eò multò potius Christum ipsum, triginta aureis Ministris sathanæ diuendatis, atque in manus peccatorum tradatis. Quod si feceritis, accipietis mercedem fratris vestri Iudæ. Hei mihi, quòd non liceat prædicere, quæ liberet expròmere, quæque futura esse scio, denunciare. Sed (proh dolor) Cracouia, imò tota Polonia, patieris multa indigna. Senties virtutè libertatis, seu potius, dissolutæ consuetudinis, licentiæ, & impunitatis. Vide Domine IESV, considera, iudica, vindica.

# DE MULIERIBVS.

**V**T quoque de garrulo atque vaniloquo grege mulierum bene mereri possimus, ex iis, quæ multi multa vaticinia de mulieribus literis consignarunt, placet pauca in gratiã illarum afferre, Quale est cum primis illud, quod inueni in quodã veteri codice: *Mulier hominis confusio est, continua sollicitudo, indeficiens pugna, quotidianum damnum, solitudinis impedimentum, adolescentiæ naufragium, animal pestimum, pondus grauisimum, aspis insanabilis, humanum mancipium: & vt ait D. Chrisolt. amicitia inimica, inenitabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimen- tum, malè natura boni colore depicta: si iniuriam patitur, insanit: si honorem accipit extollitur: si potentis vxor sit, non cessat nocte atque die callidis stimulare sermonibus: blanditur nequiter, & quod vult, rapit violenter. In summa: Omnis mulier sagitta demonis, insatiabilis vorago, ianua inferni. Nonnulli fœminas monstra esse hominum aiunt, & propter calorem deficientem nasci. Quod idem iterum Diuus Chrysostomus comprobat: Nulla bestia comparabilis malæ mulieri. Et Mim: Mala vxore pœna nulla acerbior. Nec ab his dissentit D. Ambrosius: Magna anime amaritudo est in domo vxor tristis. Quid Eccle. 28. dicit? Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris. Commorari leoni & draconè placebit, quàm habitare cum muliere nequam. Nequitia mulieris immutat faciem eius, & obocœcabit vultum suum tanquam versus, & quasi succum ostendet in medio proximorum. Ingemuit vir eius, & audiens suspirauit modicum. Vt interim missum faciam Petronium Arbitrum, cuius hæc de muliere extant verba:*

*Famina nulla bona est, quod si bona contigit vlla,  
Nescio quo fato res mala bona facta est.*

Vnde illud peruulgatum:

*Aspide quid peius? Tygris: quid Tygride? Dæmon.  
Dæmone quid? Mulier: quid Muliere? nihil.*

**C**ui consonat illud Eccle: 7. *Virum de mille vnum reperiri: mulierem ex omnibus non inueni.* Quo fit, vt multi, cum superent dæmonem, superentur à mulieribus. Vnde ait quidam:

*Adam, Samsonem, Petrum, Dauidem, Salomonem  
Decepit mulier: quis modò tutus erit?*

**O** malum summum, & acutissimum telum Diaboli mulier. **O** malum **o**mnimale peius mulier mala. **O** malum intolerabile, vipera irre-  
mediabi-

mediabilis, venenum insanabile, mulier mala. Auguror itaque, proximo anno, & aliis sequentibus, non fore fidam maritis suis, nedum amasias. Viros quidem in ore, amasios in corde gestabunt: Anima autem plus est, vbi amat, quàm vbi animat, illudque Catulli completum iri:

*Mulier cupido quod dicit amanti,*

*In vento, & rapidâ scribere oportet aquâ.*

Hinc quidam,

*Non est in speculo res quæ speculatur in illo:*

*Apparet, & non est in muliere fides.*

Hæc dicta velim intelligi tantum de malis mulieribus: nam de bonis (quæ sunt albo coruo rariores) nihil hoc loco dico, quæ etiam ipsi mihi, si quid bene fecerint, placent. Ne itaq; turbentur, sed bono animo sint, meque se tacitè laudare, & prædicare semper existimant, & postea integris libris laudaturum sciant. Qui enim fieri potest, vt boni vituperem? præsertim cum etiam in sacris literis optimæ matronæ, multis nominibus celebrentur. Et primò quidem Eccle: 26. *Fundamenta æterna super petram solidam, & mandata Dei in corde mulieris sanctæ.* Et Prouerb. 12. *Mulier diligens corona est viro suo, & putredo in ossibus eius, qui confusione res dignas gerit.* Deinde Eccle: 9. *Beatus qui habitat cum muliere sensata.* Et 26. *Mulieris bonæ beatus vir: nam numerus dierum eius duplicatur. Mulier fortis oblectat virum suum, & annos vitæ illius in pace implebit. Pars bona mulier bona, in parte bona timentium Deum, dabitur viro profectis suis.* Tandem Prouerb: 18. *Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum, & hauriet iucunditatem à Domino.* Etenim (vt est Prou: 26.) *sicut Sol oriens in mundo in altissimis Dei: sic mulier prudens in ornamentum domus suæ.* Vnam verò præcipuè Dei sobolè & creaturam ab his interrim excipio, quæ iam est bona; neq; nobis (nobis inquam) qui sumus Arcades ambo virtutum, castè displicet. Sit ergo hoc in æternam eius memoriam testimonium, & monumentum virtutis. Nomen Virginis Sapia; cui hæc dare, atque dicare libuit. Hanc enim ob illius præstantiam, formositatem diligo, hanc amo, sed & propter eius Animum Mitem, quem suauissimè diligentissimeque collo & obseruo, tuor ac veneror. Cum hac viuere, cum hac mori cupio, & exopto; sed cum Sapia, Cæteras contemno, ac reformido, innixus autoritate sacræ scripturæ, Prouerb: 7. *Dic Sapia, soror mea es, & Prudentiam voca amicam tuam, vt custodiant te à muliere extranea, & ab aliena, quæ verba sua dulcia facit.*

Vaticinium ex Sphygmica arte desumptum,  
quo arcana suspectarum mulierum de-  
teguntur.

**S**I verò noscere cupis, si ne mulier obnoxia delicto, an immunis, de quo tibi est suspecta, hoc vaticinii loco habeto ex pulsibus. Tange eius arteriam, interea verò temporis perterrefacito ipsam verbis tuis, asseuerando te scire ipsam non esse extra culpam. Si enim deliquit, incidet statim in animi perturbationem, timorem scilicet, vel mœrorem, vel timorem simul cum ira. Eas autem animi affecti-ones conantur plurimæ celare, sed pulsus detegunt eas, & produnt ipsis inuitis. Fiunt autem pulsus primò parui, languidi; postea inæ-uales anonymi, iam parui, iam magni, iam celeres, iam tardi, iam crebri, iam rari, iam vehementes, iam languidi, sine vlllo ordine. Perseuerat autem ea pulsuum inæqualitas, & ataxia aliquousque, nec citò disperit. Quare repetitis vicibus, iterum atque iterum tangenda est arteria mulieris, vt scias, citò ne sedetur pulsuum inæqualitas, & ordi- nis perturbatio. Sunt enim nonnullæ naturâ timidæ, quæ ob quascunq; etiam leuissimas occasiones expauescunt, licet sint innoxie. Sed tali- bus citò desinunt pulsuum inuouationes, & sicut ex abrupto incipi- unt, ita repenti preunt: illis verò lentè, quæ culpæ sunt obnoxie. Hoc modo Iosephus Struthius Posnanien. Medicus, circa annum D. 1555. ex pulsu vxorem cuiusdam viri Nobilis correptam fuisse amo- re iuuenis adulteri cognouit. Cum enim assideret quadam die ei fa- minæ, cepit de industria percunctari res plurimas ab ea, quarum co- gnitio ad curandam eam (nam maritus eius medendi causa in febre curæ eius eam commiserat peregrè proficiscens) videbatur esse neces- saria: interim verò manum eius atredebatur, & tangebatur arteriam in- terpollatim. Insinuauit etiam mentionem multorum hominum co- ram ipsa, quos nominatim recensebatur. Quum verò inter ceteros no- minauit eum, quem ipsa deperibat, cepit illico pulsus variari, ac ex naturali fieri multò minor, celerior, crebrior, & languidior, sed in iis omnibus inæqualiter, commutans sine vlllo ordine, pulsus paruos in magnos, debiles in languidos, & vicissim hos in illos: similiter & ce- leres in tardiores, crebriores in rariore, & è contra. Perseuerauit ea pulsuum immutatio aliquousque, nec citò desit. At ille tunc conie- ctura est assequutus, illum ipsum fuisse eius adulterum, ad cuius com-

memora.



memorationem ipsa tantum expauit, & pulsus perturbauit: quod non contigit alias, dum aliorum iuuenum, præter adulterum, mentionem faceret. Talem autem pulsus in ea reperit ad recordationem sui adulteri, qualis fit in timore, dum ei repugnat ratio, & facit hominem anxium, & distractum. Hoc secretum tibi qui legis valde vsui fore non ignores, si de eo mulierem omnem celaueris.

## Vaticinia notatu digna de Nouerca.

**N**on licuit mihi in meis vaticiniis, sicco (vt aiunt) pede Nouercas transire, ne, si fortè se contemni à me arbitrarentur, iniquo erga me animo futuris annis sint, cum etiam illæ de nobis, quibus eas aliquando habere contingit, similiter mercantur. Nemo autem mirabitur, Nouercam peiorem esse pessima quauis muliere, quæ, quæ paulò superius de mulieribus in communi literis mandari, perspecta habeat. Nam præter id, quòd sit mulier, est etiam Nouerca. Itaque cum binas causas habeat suæ peruersæ malitiæ, quid mirum est esse eam improbam? Imò verò, si quando bona est, obliuiscitur naturæ suæ duplicis. Sed ne ei facere iniuriam videar, si nimirum rem nudis verbis prolatam, certis & euentibus rationibus, & argumentis non comprobauero, in gratiam illius, proferam in lucè de illa antiquorum præsentissima testimonia. Neque enim veteres illi viri, benigniores vnquam erga se Nouercas expertifuerunt. Sic namque de sua inquit Tragædus Seneca:

*Tulimus saua iussa Nouerca,  
Hostilem animum, vultusq; truces.*

Virgilius quoque non ab simile de sua scriptum reliquit:

*Est mihi namq; domi Pater, est iniusta Nouerca.*

Quinetiam idem ipse Virgilius, non aliter atque de veneficis & incantatricibus sentit, dum priuignis hanc præparat, contra illarum venena & incantationes, medicinam:

*Media fert tristes succos, tardumq; saporem  
Felicis mali: quo non præstantius vllum,  
Pocula si quando saua infecere Nouerca,  
Miscueruntq; herbas, & non innoxia verba.*

Neq; etiam ab hoc dissentit Ouidius ingeniosus Poëta:

*Lurida terribiles miscent aconita Nouerca.*

Cui Sententiæ assentit & Euripides, qui eam cum horrida vipera confert: *Inimica consequens Nouerca liberis, prius genitis, vipera nibilo clamentior est.* Et vt multa in pauca contraham, illud solum documento

esse potest, quanto odio prosequantur nouercæ suos priuignos, quod passim ab Authoribus vsurpatur. Hi enim quando volunt exprime-  
re acerbiter & atrocitatem odij illarum, dicere consueuerunt: *Odi-  
um nouercale*: quemadmodum etiam dicitur: *Odi-  
um uatinianum*, quo nullum videbatur esse crudelius: *Et nouercari* uerbum quid aliud so-  
nat apud Latinos, quàm more Nouercarum agere: hoc est, malignè &  
inimicissimè. Etenim Nouercæ ferè omnes, odio quodam fatali pro-  
sequuntur Priuignos: Nec aliam credo causam fuisse, quod Aphtonius  
Sophista non permiserit deslere mortem Nouercarum, sed potius  
tunc maximè gaudere, lætari, & exultare præceperit, cuius uerba su-  
bijcere mihi placuit:

*Rideatur qui ad tumulum Nouercæ fuerit lachrymatus:*

Quæ omnia cum ita se habeant, uideant obsecro patres, quibus  
est animus ad secundas nuptias, post defunctam uita matrem, tran-  
sire, an filiis pro perca scorpis, pro charissima matre, Nouerca sit dan-  
da. Hoc enim ne antiquis quidem illis unquam placuit, ut hac de re  
non ineleganter Euripides:

*Nunquam duplicia connubia laudauero mortalium, nec binas matres  
habentes liberos. Quid ita? Quoniam ut ille ait:*

*Nouerca priuignis semper malum, neq; amantes  
Saluant, Phadrum inspicere & Hippolytum.*

Hæc uelim intelligi de omnibus in genere Nouercis, unâ exce-  
pta, si est aliqua bona. Quapropter ego, cum mihi mors implacabi-  
lis, mors inexorabilis, mors erga omnes ferreum cor gerens, matrem  
cripuiisset, summis precibus à Patre meo petii, ut faceret, ne per suas  
nuptias, experirer beneuolentiam alterius matris: uerebar enim nimis  
cuius naturam, & pessimos mores. Nam si mulierem, quæ suæ mali-  
tiæ unicam tantum, quod sit nimirum mulier, habet causam, ferre  
non possum, quo animo possem Nouercam, quæ duplicem, quod sci-  
licet & mulier sit, & Nouerca? Ex his itaque auguror, omnibus sequē-  
tibus annis, Nouercas benignas & beneuolas fore suis priuignis,  
si nullæ erunt. Nam, ut superius dixi, non nisi sublata causa, tollitur  
effectus. Quippe nolentes uolentes priuignos odio habebunt. Quo-  
niam quod fatale est, necessarium quoque esse putandum est. Ne er-  
go mihi postea blâdiarur Nouerca. Hæc sunt pulchra ualde de Nouer-  
cis scienda, quicumq; legisca Domine, quibus doctior fias. Quo ergo  
iustum & uerum laborem meum præmio decorabis? Satis mihi erit,  
si hæc quæ de Nouercis diligenter collegi, atque posteritati scripta re-  
liqui,

liqui, per te nesciant Nouercæ: semper enim verum esse ratus sum illud prouerbium: *Noli irritare crabrones.* Quod si feceris, & ego semper tutus ero ab illarum incantationibus, & tu maiora eaque meliora in dies à me expectabis. Ita fac & sapias. Quod verò attinet bonas Nouercas, ne tumultuatim mihi irascantur omnes, non nego posse esse aliquam bonam, dummodò ipsa velit. Sed *Naturam surcâ pellas, tamen vsque recurret.*

## De veris Politicis.

**P**roximis annis instabit genus hominum, qui vocantur Politici. Horum mores, si verè Politici debebunt dici, eiusmodi erunt in templo. Nam aliis in locis iam illi ipsi scient per se, quid facere eos oporteat. Quando non habebit alter illorum quid domi agat, die præsertim festo, conferet se in templum, atque ibi si se signo sanctæ Crucis muniuerit, satis erit, Orationem verò Dominicam committet Monachis, vetulis, & senibus; aliquando etiam semel tantum eam recitare poterit, si voluerit, & quidem non flexis genibus, vel sanè vnico dūt axat poplite, idque suppositis chirothecis, ne sibi caligas maculet, aut vestem; non aperto capite, ne hyeme ex frigore lædatur, æstate verò supernè puluere respergatur. Præ omnibus enim amanda est mundities. Vertet autem faciem ad homines, tergum verò ad altare maius: siquidem etiam homines sunt honorandi; præcipuè verò honestæ matronæ, aut elegantes Virgines. Præterea vt Politicus aliàs cautus, ita & hîc videat, ne sibi aliquis inimicus quidpiam insidiarum à tergo struat, sicque incautum opprimat, aut certè ne sibi exitus è templo clausis valuis obstruatur. Sed & toto illo tempore, quo adest Diuino officio, miscbit sermones cum aliquo sibi simili, quem inter tot homines haud difficile erit prudenti Politico inuenire, etiam si aliquando ex industria per totum templum quærendus sit, vel secum propter certitudinem adducendus, causâ deuotionis: est enim pium opus. Et quoniam *Nauita* (vt bene dicit quidam Poeta) *de ventis, de tauris narrat arator.* Cur non etiam Politicus dicet de chartis lusoriis, de hesternis choreis, poculis, mulieribus, adulteriis, & id genus aliis, quæcunque sibi sunt propria, ne videatur esse nimis rudis & barbarus, aut quod peius est, bos mutus, si taciturnitatem seruet. Omnino enim meminisse debet id quod à nostris hominibus sæpissimè vsurpatur, iamque in prouerbij cōsuetudinem uenit:

*mentis.*

*Mentiri, adulari, vanaq; sari,*

*Hæc qui nescit, frustra in aula senescit.*

Dum tamen

elevatur diuinissimum Sacramentum Corporis Christi, interrumpent parumper sermones suos, illudque, quasi quid noui agatur, ducto ore, veluti admirabundi, oculis intentis, audacter aspicient. Sin verò idem venerabile Sacramentum præterire Politico contigerit, recta ibit, aperto tantum capite ex more suo, & non flectet genua, sed potius si à latere, vel tergo viderit (quod sibi diligenter obseruandum erit) aliquem suum amicum, socium, vel certè formosam mulierem, maximè vero notam, salutabit honorificè, flexo poplite, ne quid deesse videatur Politici suæ, moribusque honestis. Cum autem fulminauerit aliquis Concionator contra mores tuos Politicos, qualia sunt periuria, comestationes, ebrietates, alex, blasphemix, adulteria, & similia, admurmurabis quoque ei vicissim, diceisq; Sacerdotem nugari, tanquam malè moratum, inhumanum, & eum qui potius rusticis, & idiotis debeat prædicare, quàm Politicis, & prudentibus viris; hoc idem reuersus domum ad mensam in præsentia plurium confirmabis. Imò si fuerit Parochus tuus, etiam obiurgabis, ne posthac audeat tam grauem personam tuam non honorare. Nonnunquam è re sua Politici esse censebunt, per totam Missam & concionem in conspectu omnis populi de rebus magnis, Reipub. vtilibus, disserere, vt qui viderint, dicant, eos solos esse adeò sapientes, vt iam non indigeant doctrinâ Sacerdotis, vel non esse, vt cætetos, ignaros, vtpote qui semper ex tempore possit aliquid nõ vulgare dicere. Aliquando etiam dormire laus est. Erunt enim qui te demonstrabunt digito, & dicent: Hic, si non esset tractatione magnarum rerum Reipub. fatigatus, non dormiret: quamuis fortè reperientur, qui hesternam crapulam te edormire contendunt. Sed hi non sunt audiendi Politico, tanquam simplices. Exeundi è templo mos erit: circumspicere diligentissimè quo quouersum, non imaginem crucifixi, aut alicuius Diui, ad cuius imitationem mores, vitamque formet; sed imagines viuas fæminarum, omnium formosarum, ad id iam apprimè serico, & monilibus, facieque exporrectâ, & variis vnguentis illitâ, instrubarum, quibus oblectetur, & ad lasciuiam incitetur. Ad pulsum itidem matutinum, meridianum, vespertinum, turpe erit Politico, maximè verò si tunc accumbat mensæ, aliudue quid agat, salutare Sâctissimam Dei genitricem MARIAM, orareque vt per suam intercessionem, & Filii Christi IESU merita, gloriæ atque diuitiarum te.

rum regni cælestis dignus efficiatur, ne, si fortè rideatur ab aulicis, splendori nominis sui aliquid decedere videatur. Melius est enim, ( si, veluti debemus, credimus sacris literis ) nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. Vel certè occupatus tractatione rerum agendarum, colloquiis muliercularum, & id genus aliis, non parui, scilicet, momenti, differre poterit hanc deuotionem, sibi minimè gratam, & vt vaticinor, inimicam futuram, in tempus aliud, quod nunquam in vita habiturus est ille: Multa, & magna incommoda dilatione temporis euitat prudens. Confiteri quoque peccata sua debet Politicus ad minimum semel in anno, non quòd doleat de illis commissis, sed ne omnium pessimus, vel Hæreticus, vel atheos esse reputetur: Qui enim famam suam negligit (inquit Sapiens) homicida est. Quamuis hoc grauius ei videri debet (vt pote minimè assueto) quàm ad malam crucem duci. Si verò non fuerit confessus ad festum Paschæ, vt euadat linguam hominum, debet vouere se locum aliquem sanctum visitaturum, atque Czestochouiam, vel ad Caluariam, vel ad sanctâ, seu malam crucem peregrinaturum, ibique pro omnibus peccatis suis satisfacturum. Cùm verò confitetur peccata sua, & à Sacerdote interrogatur, emendaturus ne sit vitam suam? Respondebit se emendaturum, non quidem re ipsa, aut opere, sed verbis; at hæc postrema verba caueat ore proferre: hæc enim pænitentia sufficit Politico. Proprio verò Sacerdoti seu Parocho confiteri peccata, non est Politici, sed aliquius alterius stupidi hominis, propterea, quia maiorem pudorem incuterent, qui est, & fuit semper alienus à Politico, quem pudere, ipse est pudor. Quod si tamen aliquando id in Parochiali Ecclesia face-re visum fuerit, accersetur Cōfessarius Monachus, vel alius aduena Sacerdos; vel etiâ in huius defectu, eoquæ maximo, Vicarius, cæcus, surdus, vel minùs doctus, quàm ipse Pastor. Quò etenim exquisitiùs, & perfectiùs examinata & discussa, atque intellecta fuerint peccata, eò quoque grauior pænitentia, capitalis hostis Politicæ vitæ, speranda est. Hactenus rudi (vt aiunt) Minerua, tantum deuotionem veterum, & non fictorum Politicorum, & ea quæ in templo ab iis fieri solent, attingere mihi libuit. Reliqua volens ac prudens omitto, quæ libellus iste paruus nullo modo capere posset.

## De veris Philosophis.

**O**Mne sæculum verus, medium, nostrum, vidit Philosophos mi-  
nùs rectè philosophatos. Iam annis sequentibus, non astris,  
sed scientiâ, & assuetudine fauente, Verum genus Philosopho-  
rum prodibit, idque triplex. Primum Diogenem Cynicum, Timo-  
nemue Mysanthropum referentium. Nam ob suam tetricitatem, at-  
que naturam terrenæ complexionis, chartis impalescentes, hominû  
confortia fugient; sique in publicum eos contigerit exire, id facient  
demisso vultu, corrugatâ facie, capillis intonsis, veste impexâ, calcea-  
mentis squallore sordium oblitis, capite nulli aperto: Etenim Phi-  
losophia, seu sapientia, cum sit scientia altissimarum causarum, hæc,  
quæ minoris sunt momenti, contemnit, & abiicit. In colloquio erû  
muti: quia sapientis est tacere. Nonnulli breues, & simplices, aper-  
tiq;: siquidem sapientia est contemplatio veritatis. In conuiujs  
rarissimi, principioque conuiui temperantes, at postquàm virtus vi-  
no incaluit, in verbis rudibus, & haud sanè honestis laxiores: in po-  
culis plenè vno spiritu exhaurendis alacriores, & potentes, non item  
in retinendis robusti: nam vera Philosophia omne superfluum odit,  
ac expellit. Horum officium erit non iuuentutem instruere, & for-  
mare ad augendum, aut tuendum bonum publicum: non vitia ex  
animis euellere, virtutesque inferere: non pietatis veræ semina iace-  
re: verùm de Ponte Asinino, item Entitatibus, Quidditatibus, Ma-  
terialitatibus, Formalitatibus disputare. cumque omnia alâ ingenij  
sui peruolarint, omnia se fecisse, cum nihil fecerint, putare, seque su-  
pra alios efferre: quoniam sapientia sese effert supra omnia humana.  
Secundum genus Philosophorum popularem auram sua mundicie  
captantium. Quippe istis nihil erit molestius, quàm vnicam domi-  
sux exigere horulam, nihil dulcius, quàm in publicum prodire, idque  
vultu elato, fronte erectâ, genis vnguent o illitis, capillis in nodos con-  
tortis, erectisq; , veste etiâ minutissimo puluere vacuâ, & moscho, seu  
alio odorum genere, perfusâ, collari in humeros vsque deposito, seu  
exposito, manu læuigatâ, calceamentis recentibus, & stridentibus:  
scilicet Philosophia munda, omnia munda expolcit. Eorum erit om-  
nes vrbis plateas vt videantur, lustrare, atque etiâ ædes cauponari-  
as; ex illis frequentes internuncios ad virgines mittere, easdem fre-  
quentius in diem (si vel semel aliquam elegantioris formæ viderint)  
inuisere, etiam si pleriq; non libenter ab ipsis videantur. Hinc erit,  
vt nulla conuiuia, nullæ cauponæ absque illis sint futuræ. Multi e-  
nim non inuitati, vel saltem ab externis ancillis clam rogati, præter  
hospitis

hospitis mentem talibus sese immiscebunt, noctesque in ijs agent in-  
 somnes. Nonnulli etiam quicquid habuerint in commellationibus  
 cum peruerso genere vulgi absumunt. Nec iam in mare pecuniam,  
 vt Democritus, sed in vinum abijcient. Non amicis, vt Anaxagoras,  
 sed prostitutis, & luxuriæ tribuent, ita vt omnibus denuentur, &  
 omnia sua secum, vt Bias Prienæus, circumferant: Quoniam Philo-  
 sophia naturæ accommodata, paucis, aut seipsa contenta est. Chorea-  
 as continenter agent, compositabunt, ac in poculis Lacydem Cyren-  
 zæum, aut Arcefilaum, ob nimiam potationem mature extinctos,  
 imitabuntur: nempe Philosophia imitatione Philosophorum niti-  
 tur. Quod si ipsorum constantiam & fidem probare volueris in amo-  
 re virginum, chorearumque, & vini, si dixeris, vt vel vnum in talia ex-  
 ponant nummum, confestim fugient, & si prius biberint bene, cum  
 non sint soluendo, irascuntur, & de obolo, inter se, aut cum cenopu-  
 la, digladiabuntur. Et verò vt copiose bibant, & alteri conuiuant  
 præpedient: nonnunquam sponte, idque extra conueniens tempus,  
 cum Musicis suis venient, domesticos silere iubebunt, vt omnino quic-  
 quid alter pecunia sua struxerit, sibi beneuolentiæ id totum vendi-  
 cent. Plerique cum multarum capiantur forma mulierum, singulas  
 in singulos dies veròque tempore, vt solent Medici ægrotos, lustra-  
 bunt; hinc etiam minus gratiæ ac amoris, imò & fidei apud eas habe-  
 bunt. Molliter cubabunt, ociabuntur, raròque aut nunquam libros  
 grauissimorum authorum legent, aut videbunt, optimam tamen suf-  
 ficientem, atque cultam, & purgatam librorum copiam habebunt,  
 Quod si contigerit eos aliquando quempiam Authorem legere, semel  
 id tantum, idque breuissimè, facient, nec amplius in eo opellam con-  
 sumunt, sed alium, proinde vt primum, tractabunt. Iam si disputan-  
 tes videris, mutos appellabis, qui nuper inter pocula grauissimi ha-  
 bebantur Oratores, & subtilissimi Philosophi. Ac denique, vt alia  
 multa taceam, omnibus dormientibus, clamoribus ciuitatem re-  
 plebunt, grassabuntur, continuas agent in vicis, & plateis excubias:  
 namque Philosophia, cum sit magnum bonum, & vinculum, atque cu-  
 stos humanæ societatis, pro omnibus semper inuigilat.

Tertium denique genus Philosophorum erit, Gnathonem illum  
 Terentianum exprimentium, & omnia ad se attrahentium: quippe  
 id quod seruabunt:

*Negar quis, nego, ait, aio: postremò imperaui egomet mihi:*

*Omnia assentari.*

*Atque sic blauditiis*

*molliter*

molliter in aures hominum influent: quia ad alterius non modò sensum ac voluntatem, sed etiam vultum, atque nutum conuertentur. Hinc nulla absque illis erit Regia, nulla Principum aula, nulla domus publica ac priuata, nulla comitia, consilia, iudicia, nulla testamenta: Etenim Philosophia bonum diuinitus datum in omnia se diffundit, omnibus se communicat, omnibus prospicit, ac cauet. Præterea ipsorum erit cursitare per urbem, suis persuasunculis potissimum mulierculas mulcere, cum ipsis etiam in templis publicè colloqui, viduas aut virgines orbas parentibus solari: Omnium vera consolatrix est Philosophia. Deinde cælum suadere, infernumque dissuadere, appositione sibi auri vel argenti, prædiorumque, in spem emendationis vitæ: quia Philosophia est expultrix vitiorum, & auctrix virtutum. Insuper improbis frequenter prodesse, obesse probis. Et sanè omnia ferè ab hominibus etiam magnis emungere, sicque pecuniam corradere, ac opes, & tecta magnifica extruere: Sapientia nimirum in altis inhabitat, & infima despicit. Multa & magna à magnis viris expetent, & obtinebunt haud difficulter. Quisquis es vita tale genus Philosophorum: nam postquam te degluberint, negligent: siquidem Philosophia est gratia sui ipsius, non propter aliud. Et ob id ipsum etiam iuuentutem instruent, non vt bonum publicum forment, sed vt eam olim sibi fauturam, vsuique futuram deuinciant. Denique plura hinc, & grauiora cogor silere: si quispiam honores, & dignitates ambiuerit, nequaquam, nisi per eos, poterit assequi: quoniam Philosophia non sola dūtaxat est digna, verum etiā eos dignos efficit, quos complexa est. Numen supremum in omnia potens, istud triplex genus Philosophorum dispellat, dissipet, tollat, aut corrigat, candidè oramus.

## De Pseudopoëtis.

**P**RODIBIT quoque hæc tempestate nugacissimum genus hominum scribendis versiculis assuetum, ocium & ignauiam, omnium nequitiarum parentem, amplectens. Ars hæc erit esuriens, semperque famelica: Siquidem tanquam mures, alienum panem artis istius professores comedent, in hoc consenscent, & misera egestate prementur. Ficta equidem non possunt esse vera, ergo nec præmio villo afficienda: Quocirca passim de illis omnes iactabunt illud vulgatum dictærum:

*Vinum*



*Vivunt carmine infani Poëta,  
Si nugae adimas, fame peribunt.  
His mendata sunt opes, & aurum,  
Fingunt quaeq; volunt, putantq; palmam,  
Mentiri bene, gloriosorem.*

Sed cum inquit D. August. Mentiri etiam pro honore Dei non licere, quid balatrones isti dicent? quo pacto technas suas excusabunt? Itaque quia peccant tam enormiter, perpetua infamia punientur, & nunquam discescere poterunt, id certius oraculis vatū habeant. Hinc Iustiniani Imperatoris institutum multi acceptabunt, & nulla prorsus immunitate eos dignabuntur; Probissimi quique cavillatoriam Pœsīm, tanquam mendaciorum parentem, aspernabuntur, & monstra hæc portentosa, atque Chimærica, cane peius & angue vitabunt. Mali tamen quique, & perditissimis moribus homines, eos in deliciis habebunt, eo quod adulari, & omnia cum mirifica assentatione dicere eis soleant. Eorum siquidem studium erit, nihil sani dicere, sed nugosis versiculis stultis auribus cantillare, & fabularum inuolucris perstreperere, & furio exponere, atque aura populari omnia venari: nescio quam, inter ineptias suas, & fabulas, cum Tithonis cicadis, Lyciorum ranis, & Myræidonum formicis, polliceri audebunt gloriam, & nominis immortalitatem, ac dicere:

*Vivite felices, siquid mea carmina possunt.  
Mortales, nulla mihi semper laude tacendi,  
Nulla dies unquam memori vos eximet aeo.*

Agè verò, ne fortè quis ambigat omnes Poëtas esse fugiendos, facio distinctionem. Poetæ triplices sunt: Optimi, Medii, & Infimi. Optimi sunt, qui optimè instructi, & ab ipsa natura informati, ad divina quæque excogitanda, & verbis patefacienda, apti nati sunt: quales erant antiquissimi illi Vates, & verè diuini Poetæ, Prometheus, Linus, Musæus, Orpheus, Hesiodus, Homerus, à quibus tota Philosophia profecta est, Plutarcho teste: qui idè & Theologi dicti fuerunt, quod de cælo hausisse doctrinam visi fuerint, & inuolucris doctissimis, atque subtilissimis diuina mysteria, multo lepore, & ornatu operata, posteritati reliquissent. Et Aristoteles inquit, omnes Philosophorum sectas à venerando illo sene Homero principium suum sumplisse. Quid enim ille non habet in suis libris? quem non instruit quem non informat? Militem, Regem, Civem, Oratorem, Iuriconsultum, Iudicem, & omnia genera hominum planè ad vnguem exprimit

mit, & docet. Cuius opera in tanto honore apud Alexandrum Magnum Macedoniae Regem fuisse, ut dum inter spolia Darij allata illi esset theca gemmis distincta, & auro, in eam Homeri Iliada reponere non dubitauerit. Non iniuria igitur post mortem Homeri 7. vrbes certabant, Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Chios, Argos, Athenae: Omnes enim apud se retinere volebant, omnes eius cadauer habere conabantur. De talibus Poetis nihil ego ad praesens loquor: salua sit eorum fama, salua dignitas, & nominis decus in sempiternum vigeat, crescat, amplificetur.

Medij autem Poetae sunt, qui utcumque a natura propensi sunt ad bonas artes pertractandas, sed non nisi graui labore, & studio ingenti seipso frangentes, ad cudenda carmina accedunt: dies illi noctesque iudare, algere, multa pati debent, antequam aliquid ad communem usum fructumque conferant. Hinc more vsae fetus suos lambentis, carmina edere dicentur, qui Publio Virgilio Maroni, similes esse voluerint. Tales Poetae non tam naturam, quam imitatione & assiduam edocti exercitatione, viuunt in hominum celebritate. Labor enim improbus omnia efficit; Et tempus fert omnia, ut inquit Poeta. Proinde neque de his mihi in praesenti est negotium: Digni enim sunt, quos fama cauat, & admiretur. Nam quis nescit olim theatra & amphitheatra, augustissima illa hominum aedificia, non Philosophis, non Iuriconsultis, non Medicis, non Rhetoribus, non Mathematicis, non Theologis, sed ipsis Poetarum fabulis enarrandis, ingentibus sumptibus extructa fuisse? Hinc & Philosophi illi antiqui Philomyei, id est, fabularum studiosi erant appellati, de quibus Firmianus plura. Nam & honore amplissimo, & diuitijs abundare valent eiusmodi viri: Auctus erat fortunis Virgilius, Horatius, & in hac Academia Georgius Vigilantius Samboritanus, & in Zamosciana Acad: Simon Simonides multas & amplas habet facultates, ut scimus omnes. Cuius carmen amat, quicumque carmine digna gerit.

Inferi Poetae sunt, qui nullam artem, nullas naturae dotes habentes, aliena furantur, & pro suo fetu genuino vsurpant, de his mihi in praesenti negotio sermo est: hos mea spectat oratio. Sequentibus igitur annis monstrum se mendi, maledicere, aut qua pro nouis vendicare, scomatibus rodere alios, erit eis commune. Tempus omnino auro preciosius frustra perdent, nugae tractabunt, & pro doctrinis Reip. conferentibus vsurpabunt, lucris, tanquam vultures vel coruicadaueribus, inhiabunt, dolis malis circumuenient, instar psittaci vel graculi

graculi salutabunt obuios, excipientque gratulationibus, aliunde transcriptis, ab exteris nationibus Magnates, & insignes heroas redeuntes: pecuniam inde corrudent, & in omnes luxuriæ artes profundent: officium suum omnibus paratum iactabunt, & temerè se rebus minime decentibus sponte obrudent. In Academiam nunquã discendi, nisi suspiciendi gratia venient: multas ex fenestris & lapideis sententias trasferent, & typis mandabunt: cum scortis inhabitabit, palliati incedent tanquam Doctores aliqui, vt suam scientiam iactent eò vberius, quidam etiam curati, quidam obdanti tanquam de ganeorũ nido prodibunt, & spoliare cum non possint aliter, versiculis factis spoliabunt, latronibus, nocturnis grassatoribus, vesperilionibus, noctuis, bubonibus, ganeonibus, & nescio cui faci hominum sese immiscebunt, fortè ideò quia excogitare debent modum Poëtæ, quo à Mysis & Charitibus adamentur. Multi non sua carmina dedicabunt multis, verùm tamen non celebrabunt eos, sed deformabunt: Nam ab illaudato viro laudari maius est vituperium Quocirca qui à talibus Pseudopoëtis poemata suscipient, erunt causa sui & illorum mali, nam fouendo illorum nequitiam ad turpem eos ignitiam prouocabunt. Si enim paupertate premerentur, nec haberent unde viuant, vtique de modo vitam instituendo tempestiuè cogitarent, & Cleantem illum imitantes vel in studia honestiora incumberent, vel statum & vitæ conditionem arriperent. Sic autem nec acceptare sacerdotium volêt, nec monasteriũ ingredi, quòd si ingressi fuerint illico effugient, nec gradus aliquos in literatura cõsequuntur: vel si fuerint primos assecuti, secundos respuent, quia laborem fugient. Petulci isti hædi & sordidi Epicuri de grege porci, bene poterunt cuticulam curare, alieno labore veluti circumforanei aliqui institores victitantes. Nulla fides pietasque est eiusmodi nebulonibus, quomodo ergo eis aliquid concedendum? quomodo fama, honor, dignitas, eis committenda? cum sint excrementa tertij generis Philosophorum, eundem librum multis tribuentes. O grex nequitie, o stupiditatis fons, o apostatarum antesignani, o delidie & omnis ignauiæ sentina, o vorago & lerna malorum omnium, quæ intra sacratissima Academie spatia commorantes docti, & literati viri perferunt, & patiuntur propter vos? Siccine vos insensati canes, nec timor Dei, nec pudor naturæ humanæ conueniens, (sus enim fæcida pudore suffundi non potest) nec literarum splendor, nec temporis inestimabilis iactura, ad amantissimos & fragrantissimos Hesperidum

cum hortos ac floridissimos virtutum agros poterit euocare? Respi-  
cite tandem, antequam ultra Garamantas & Indos protrudamini,  
moneo, iubeo, cupio.

## De Iudicibus & Causidicis.

**M**iraris cur tot sint Indices? Quia etiam tot leges, vt illis legen-  
dis decem iustæ vitæ vix sufficiant. Hi verò an omnes iustè  
iudicent, me tacente, docet exemplum. Prætoris taurus in  
Rustici cuiusdam tenuis pascua transfiliens, vaccam eius cornibus  
occiderat. Qui damnum acceperat, vel in hac re rusticus non sapiens,  
prætozem adijt, & impunitate loquendi ex more datâ: Prætor  
(inquit) meus taurus tuam vaccam cornibus petijt, atque occidit,  
quid iuris? Ille incunctanter: Quid aliud (inquit) nisi vt vaccæ  
damnum mihi tauri nomine præstes, aut taurum, si mauius, noxæ  
dedas. Imò, inquit rusticus, ignosces imperitiæ meæ, nam lingua  
lapsus sum, præposterè causam proposui: quin potius tuus taurus  
meam interfecit vaccam. Tum Prætor nimium impudens: Isthæc, in-  
quit alia res est. Quod cum ita sit, neq; iustiores esse futuros quosdam  
sequentibus annis crediderim, siquidem his succedent nonnulli, qui  
vel ira, vel cupiditate, vel metu, vel gratia, vel falsa aliqua existima-  
tione corrupti, primò sese totos, deinde aliorum substantias, perdent.  
Hoc de malis tantum Iudicibus. Sed tamen adhuc non sumus tuti.  
Nam instabunt etiam quidam Causidici, qui ne fame pereant, lites  
quærent, semina earum vbique spargent, mouebunt, augebunt de-  
torquendis legibus, & controuersias malent constituere, quam tol-  
lere: idq; eis eò erit factu promptius, quòd legum obscuritas ansam  
prauis hominibus præbebit insectandi eas quò voluerint, & diffe-  
rent lites, in longissimum tempus, vel indè iudicij, vt vberior eis lu-  
crandi spes affulgeat: Ita breui tempore quæ erant facilia & liquida,  
inuoluta reddentur omnia, & perplexa. Idcirco quondã ille Matthias  
Rex Pannoniæ, huic malo volens occurrere, Causidicos omnes regni  
finibus iussit excedere. Quod ego nostris nunquam euenturum esse  
vaticinor, cum eos longè abesse ab illorum veterum peruersis mori-  
bus videam.

## De Mercatoribus.

**Q**vandoquidem Mercatores alij Ethnici, alij Christiani: pri-  
mò quales Ethnici vlg; ad consummationem sæculi sint futuri  
exponam

exponam: Deinde verò si aliqui Christiani voluerint quoq; mercatorum exercere, quid facere eis conueniat paucis admonebo. Ethnici itaq; non tantopere virtuti, vt pecuniæ studebunt: quilibet enim attentus ad rem, quilibet rerum habendarum cupiditate tenebitur. Cauebunt omnes illud: *In qualite video panno, in talite colloco scamno.* Idcirco paupertatis onus patienter ferre recusabunt, debitum laborem cane peius & angue fugientes. Passim illud, & dicto, & facto comprobabunt, quod Pòeta inquit:

*O ciues, ciues, querenda pecunia primùm,*

*Virtus postnummos.* Idcirco etiam mercatorum genus in bonorum numero, & hominum celebritate reponitur. Cùm tamen Cic: in 3. lib. de Rep. dicat: Antiquitus nihil fuisse mercatoribus abiectius, nihil vilius, nihil sordidius, eò quod turpi lucro supra modum, cùm alterius detrimento, omnes passim inbient. Rectè quidã: *Negotiatores, inquit, nihil habent sacrum præter vnum pecuniæ studium, cui se totos, ceu Deo, consecrarunt, hoc pietatem, hoc amicitiam, hoc honestum, hoc famam, hoc diuina pariter & humana metiuntur, reliqua nugæ.* Quid enim mercatores, non audent tentare? vt dolis ac fallacijs suas crumenas dilatare, & facultates amplificare valeant? Sæpè, imò semper prætoribus sedentes, grauiore labore posthabito, doctè in emendo vendendoq; incredibilibus astutijs hospitem ementiumque thecas exhauriunt, & emungunt. Sollicitis computant articulis, quid vtilitatis & quantum illis accrescat nihil laborantibus, sed ocio perpetuo torpescitibus. Apud Romanos, Lacedæmonios, & Thebanos, contra Mercatores lex fuit lata eiusmodi, vt nemini illorum Reip. muneribus præesse liceret, quòd priuato magis quàm publico bono solent inferuire. Etenim in Mercatura & nundinatione optimè exercitati, omnibus ciuibus Deum sanctosq; obtestando, bona eripere, & in se, veluti aliquæ immentæ voragines, omnia absorbere conarentur. Hic est illorum iustitiæ cultus, hæc pietatis ara. Iamuerò si quispiam eorum ad obtinendum in Rep. Magistratum viam & aditum sibi, per aliquod virtutis, & officij simulachrum, patefacere voluit, ab omni mercatura, & negociatione per decursum decem annorum, tanquam post occisum Patrem, aut violata Superiorum numina, abstinere debuit: vt hoc pacto, quæstibus hisce Deorum religionem, veluti contaminatam, abstinendo expiaret. Hinc Arist: inquit, 7. Polit. *Mercatores non esse dignos, qui in Ciuum numerum ascribantur.* Quia huiusmodi vita vilis est admodum, & virtuti penitus aduersa. Nam

Erasm.  
Roter.

Francis.  
Petr. de  
Rep. lib  
1. cap. 8.

quod illis magis familiare est, quàm periurium? & omnis vitæ dissolutio? quid habent suis moribus magis contrarium, ac repugnans, quàm temperantiam? Etenim leui opera ingenti conflata nummorum copiâ, in omnem se effundunt viuendi turpitudinem, ita vt vino sese ingurgitantes quotidie, conuiuia lautissima comparent, seseq; totos poculis plenis vno spiritu exhauriendis consecrent ac deuocant. Rectè D. Chrysoströmus: Quemadmodum, inquit, si criticum, aut aliquam frumenti speciem, in cribro dum huc illucq; iactas id, grana omnia paulatim deorsum cadunt, & infine in cribro nihil remanet, nisi sterus solum: sic & substantia negotiatorum, dum vendunt, & veniunt, inter emptionem, & venditionem, minuitur, & in nouissimo nihil illis remanet, nisi peccatum. Quocirca rectè D. August. super Psalm. *Desiderio tuo locum facias diabolo: Ecce enim diabolus proposuit lucrum, & mutauit ad fraudem, lucrum habere non poteris, nisi fraudem feceris: sed lucrum esca est, fraus laqueus: sic attende escam, vt videas & laqueum, quia lucrum habere non poteris, nisi fraudem feceris: fraudem autem si feceris, capieris.* Audiui nonnullos fuisse, qui criminabantur me hæc de mercatoribus Christianis scripsisse, sed isti omnes procul à vero aberrant. Absit me ita intelligere, namq; de nullo bono viro male sentire didici: non enim sum ignarus Christianos hæc, de quibus scripsi, vitia Ethnicorum non decere, proinde & nunc excipio illos, & dico, liberos per Dei gratiam sequentibus annis futuros ab his vitijs, dummodò ipsi velint, obnoxios verò fore huic malo omnes quidem gentiles, sed præcipuè eos qui hodie habitant in Phœnicia, Ægypto, Babylonia, Cayro, Quinzay. Quodsi tamen Christianorum aliqui reperti fuerint eis similes, non modò hinc excipiendi non sunt, verumetiam deteriores illis habendi. Nunc iam secundo loco, quomodò sit bene, & sine offensione Dei, & proximi, nundinandum. Nemo igitur fortassis etiam Christianorum arcetur à mercatura, modò duas velit obseruare condiciones. Quarum prima, ne plus vel exigat ab eo, qui in contractibus est parum versatus, vel, si errore aliquo, aut ignorantia exposuerit, accipiat, quàm res valet. Secunda, vt videat, ne contra aliquam circumstantiarum peccetur, quæ hoc versiculo comprehenduntur:

*Quis, Quid, Vbi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando?*

Prima est persona. V. G. Si fuerit Sacerdos, mercaturam exercere non potest: Imo nullus Christianorum, quamuis sit laicus. Memini enim me aliquando legisse illud terribile, ac pertimescendum omnibus

in omnibus Christianis Mercatoribus, referente D. Chris. super Matthæ in hæc verba: *Eijciens Iesus vendentes, & ementes de templo, significauit, quod Mercator (impudens, simoniacus, mercenarius, & caupo circa res ad Ecclesiæ ædificationem, & salutem pertinentes) nunquam potest Deo placere: & idè nullus Christianus debet esse Mercator, aut si voluerit esse, proijciatur de Ecclesia.* Cæterum ego mercatori non iniicio scrupulum, & dubitationem. Legat de contractibus doctissimum libellum R. Patris Jacobi Smiglecki, Doctoris Theologi, è Societate Iesu, Polonico idiomate conscriptum: est optimus. Interim reliqua propositi mei persequor. Secunda, Res: quia sacra, & aliena non est fas vendere: qualia sunt, furto ablata, retenta, inuenta, vel quoquo modo alio iniuste acquisita.

Tertia, Locus: cum prohibitum sit in templo, & cæmiterio nundinari.

Quarta, instrumenta. Reperiuntur siquidem nonnulli, qui vi & armis compellunt aliquos emere ea, quæ nec velint, nec sibi vlti esse futura sciunt. Equorum numero ille fuit, qui baculum latro in sylua Parochæ Ecclesiæ villæ, dictæ (ni fallor) Boroua, in terra Sandomiriensi, non procul ab oppido Osiek, coacto triginta marcis, Polonicis monetæ, vendidit: qui baculus in hodiernum vsq; diem ibidem in perpetuam eius rei memoriam, cæterisq; loci illius Pastoribus cautionem, diligentissimè, & religiosissimè in sacrario asseruatur; quem & ego ipse oculis meis, cum ibi essem, vidi. Non ab simile proxime præterito anno ante lapideam, dictam Podbárany, Iudæo contigisse animaduerti. Nam quidam grassator Cracouiensis eò iam minis ac verberibus eundem adduxerat, vt libellum quendam vilem, sibiq; minimè necessarium, caro pretio soluisset, nisi à me depulsus fuisset.

Quinta, Causa: qui etenim non causa victus honesti acquirendi, sed ambitionis, fastus, auaritiæ, luxuriæ, mercatur, impiissimus est.

Sexta, modus. Hic mercatores nullis vnquam verbis enarrandos, & explicandos modos habere solent, quibus astutè vel verbosos quosq; Sophistas, imò, & maximè omnium, ex primo genere Philosophos, haud difficile irretire queant. Nunc, si pannum tibi exhiberi poposceris, primò optimum exponunt, deinde, vbi meliorem rogaueris, si fortè ignores, vel præstantiorem habere credas, pessimum. Nunc si penes te, vt pote hospitem, Prælatum, Canonicum, Præpositum, Parochum, diuitem, nobilem non pauperem, pecu-

nix abundantiam esse subfecerint, statim carius instituunt vendere, quam alijs. Et quod omnium est insidiosissimum, iam mos admodum peruersus inoleuit, vt quædam linteamina, quasi vela, in suis testudinibus expandant, quibus lumen penè totum auferant, hominesq; bene videntes, faciant parùm videntes, vel potiùs cæcos. Talis dicitur fuisse ( teste Cic. 3 offi. ) ille Gyges Bæli & Terræ filius. *Is enim cùm palam annuli sui ad palmam conuerterat, à nullo videbatur, ipse autem omnia videbat: idem rursus videbatur, cùm in lucem anulum inuernerat.* Non aliter mercatores, ipsi afluati debiliori lumini, vident: at ego admodum ægre non possum non ferre, quoties mihi in tenebris serò descendendum est bene videre.

Septima, eaq; vltima Circumstantia, Tempus: Siquidem diebus festiuis, & solennibus, non licet merces exponere. Ne te verò ieiunum dimittam, audi meam sententiam. Existimo licitam esse mercaturam, *necessarium est enim in omni ciuitate ( vt inquit Philolophus ) aliquid vendi, & aliquid emi.* Neq; demum ab Ecclesia Catholica videmus prohibitam esse. Quod autem tantopere à grauissimis Authoribus, & sanctis Patribus in eam inuehatùr, est causa difficultas euitandi peccati in nundinatione: quia ( teste Leone Papa ) *difficile est, inter ementis & vendentis commercium, non interuenire peccatum.* Equè itaq; hæc de mercatoribus scripta SS. Patrum sunt intelligenda, ac illa de diuitibus: quos sacræ literæ prædicant, *difficiliùs posse intrare in regnum Dei, quàm camelum per foramen acus transire.* Equè enim vtrosq; que difficile est effugere peccatum, difficiliùs esse bonos. Quomobrem & ego abusui sum inimicus, ipsam autem per se mercaturam laudo. Quinetiam non parùm fateor me debere illis mercatoribus; qui mecum bene in contractibus agunt. Quare est mihi animus insinuare me in gratiam alicuius optimi viri mercatoris. Iam ille ipse quid velim, facilè, si non modò, postea, idq; breui, intelliget.

## De Crepitu ventris.

**P**roximo anno, & alijs sequëtibus vsq; ad consummationè sæculi, non erit salubre retinere Mephitim. Idcirco Claudius Imperator, legislator circumspèctus, quum periclitatum quendam præ pudore ex continentia reperisset, edictum ( vt est Suetonius auctor ) edidit, quo venia daretur crepitu ventris emittenti. Et ab illo tempore dum Italarum quispiam crepitat, reliqui omnes assurgunt ei, capita ape-



pita aperiunt, proficereq; precantur. Neq; tunc minor honor ei exhibetur, quam nobis dum sternutamus exhiberi solet. Et non sine causa:

Etenim *Quatuor ex vento veniunt in ventre retento:*

*Spasmus, hydrops, colica, & vertigo, hoc res probat ipsa.*

Hac dere extat lepidissimum Nicearchi  $\alpha\sigma$   $\pi\omicron\varsigma\delta\upsilon\pi$  Epigramma, quo pestiferam retenti flatu vim describit:

*Interimit crepitus ventris detentus in aluo,*

*Et seruat blasum dum canit ille melos.*

*Ergo si perimit crepitus, seruatq; canendo,*

*Regibus imperium par habet hic crepitus.*

## Vaticinia duo ex Physiognomia.

**P**rimum: vitæ brevis signa colligunt, raras dentes, prælongos digitos, ac plumbeum colorem corporis. Contra, longæ, incuruos humeros, nares amplas, & tria signis dictis contraria: multos dentes, digitos breues, crassosq;, atque colorem clarum.

Secundum: supercilia concreta, & se contingentia, omnium sunt pessima: notant enim maleficum, plagiarium, & nefarijs artibus deditum. Id quod Ioannes de Indagine frequenter se obseruasse dicit in vetulis sagis, quæ ad incendium ductæ, huiuscemodi præferbant supercilia.

## Vaticinia desumpta ex Somnijs.

**I**nterpretatio somniorum mirè frugifera est, tum ad cognoscendum seruandumq; corporis habitum, tum ad rerum futurarum metus inanes fugiendos. Sunt autem triplicia. Naturalia, quæ ex corporis habitudine proueniunt, vt quum videre se putant, aut aquas aut arma, aut res horrendas: quæ indicant redundare phlegma, choleram, aut atram bilem. Fatalia, quæ futurum aliquid portendunt: cuiusmodi sunt, quando in somno nuptiæ apparent, quum ex affinibus quisquam mortuus est. Vana, quæ nihil omnino significant. Talia dici possunt, quæ inde proueniunt, quòd præcedente die simile quicquam viderint. Quod attinet primum genus, poteris prædicere aliorum somnia, quòd mirum videbitur imperitis. Quoniam si videris per totum diem hominem fatigatum esse labore, bibisse vinum, cibum lumpfisse calidum, certum habe, ea nocte per somnum

visum iri illi enses, vulnera, cædes, ac res igneas. Quòd si præter laborem plus quàm satis est sumplerit alimenti, apparebunt, præter pugnas, eadem nocte tenebræ, recessus profundi, aut res horrendæ. Porrò si videris quenquam, qui per diem totum ociosus defederit, quique res comederit, ac biberit frigidas, cura, vt is ante somnum multum hauriat aquæ. Sic vaticinari poteris futurum, vt dormiens se putet, vel videre aquas, vel cum ranis ludere, vel natare inter naues.

## Ridicula sed iucunda quædam Vaticinia.

**Dominus**  
**Anni.** **P**roximo anno, inter sydera sol princeps erit, inter animalia homo, inter feras Leo, inter metalla aurum, inter cibos caro, inter potus genera vinum, inter spiritus Deus.

**Qualitas**  
**acris.** Ver erit calidum ac humidum, æstas calida & sicca, Autumnus frigidus & siccus. Hyems frigida, & humida. Æstate erunt quandoque pluuia, interdum tulmina, ac tonitrua, aliquando cadent grandines; niues, præcipue hyeme, dominabuntur. Serenitas erit circa orbem solis, frigus vigebit in extremis Zonis, & altis montibus. Calor & siccitas futura est sub Signifero, ingens humoris copia erit circa mare Tyrrhenum, ac Ionium, & maximè in Oceano.

**Morbi.** Cæci parum aut nihil videbunt, surdi malè audient, muti non loquentur. Senectus eodem anno erit immedicabilis, propter annos qui præcesserunt. Complures ægrotabunt, pleriq; morientur, & ante senectutem. Sani melius se habebunt, quam ægri.

**Bellum.** Bellum erit inter aucupes & aues, inter piscatores & pisces, inter canes & lepores, inter feles & mures, inter lupos & oues, inter Monachos & oua. Multi interibunt pisces, boues, oues, porci præsertim in Autumno, capræ, pulli, & capones. Inter simias, canes, & equos, mors non tantopere sæuet. In aliquibus locis erunt cædes ac homicidia, propter aspectum Maris.

**Metalla,**  
**Annona.** Aurum erit carius argento, plumbum erit mediocris precij. Non pauci inopiâ laborabunt. Reges & principes latis bene se habebunt. Vulgi fortuna, quandoq; bona erit, interdum aduersa, aliquando mediocris. Diuites melius se habebunt, quam pauperes. Circa Martium oues minoris ementur, quàm boues, aut equi, erit bonum edere capones, pauones, perdices, & bibere optima vina.

**Itinera** Periculosa erit nauigatio in Oceano occiduo, præsertim si orientur tempestates.

Plenilunium erit in Martio, vel Aprili, quando luna soli erit opposita: Plenilunium:  
Eclipsis  
lunæ.  
Effectus.  
Quod si ipsa tum in caput vel caudam Draconis inciderit, occultabitur tantisper, dum rursum ex umbra terræ emergat. Unde varia erit in terris rerum mutatio, furta, adulteria, alexæ, homicidia, ebrietas, blasphemix, hæreses, & id genus alia, quæ Deus auertat. Si non credis, vide hac de re Arist. lib. 14. Physicorum cap. ultimo paulò post finem.

## De statu vitæ.

**M**ulti multa de eligendo statu vitæ literis mandauerunt: at quoniam licet cuique abundare sensu suo, idcirco, saluo aliorum iudicio, meam quoque sententiam hac de re breuiter declarare in animum meum induxi. Primò itaque omnium pessimus status sequentibus annis futurus est Rusticorum villanorum: Siquidem instabunt quidam Domini, scilicet uirescentes Burside illo, qui eos penè grauioribus laboribus onerabunt, quam terre possint. Maxime verò omnium hi grauissimi erunt, qui non Smolenscum oppugnando, sed in via lapidea, strenuè operam suam militiæ dando, domus quasdam, nonnulla quoque celaria foriter, prout tales viros decet, expugnando, crumenam suam euacuabunt. Item, qui singulis ferè diebus, instar quorundam cauponum, hospites excipiendo, prodigaliter tractabunt, pluraque in eos quotidie insument, quam eorum res ferat. Secundo loco artificum manualium conditio erit misera. Nam ( vt præcipuos eorum tantum attingam ) Sutores, stratarij, Zonarij, coriarij, alutarij, marsupiarij, hominibus, præsertim delicatioribus, fordebunt. Sartores autem aliena animalcula ad se non propter hanc causam missa, primò quidem humaniter excipient, sed postmodum atrociter acibus suis acutis confodient. Pelliones quidam è sedibus suis antiquis possessores veteres, nimirum, pediculos, mouebunt, & excutient. Architecti, fabrici, carpentarij, doliarij, tornarij, textores, victores, molitores, diurno nocturnoque strepitu omnia, quasi perpetua tonitrua, replebunt, dormientes excitabunt, ægrotos ad mortem ducent, studentes impediunt, proindeque omnibus molesti ac odiosi. Chymici, sulphurarij, pistores, cereuiliæ coctores, olearii, non raro peste Vulcanica diues perterrebrunt. Typographi, fossiores, vinitores, olitores, fabri murarij, vsu spilliones, sculptores, statuarij, fuliores ollarij, laterarij, carbonarij, lapidæ, terra extrinsecus vndique obruti, & quasi iam sepulti, inter viuos misera spectra ambulabunt.

labunt. Carnifices, laniones erūt crudi, odore. Horū posteriorum quidam feria secunda Maioris hebdomadæ, pertæsi longi ocij, putantes se fortè laniatum, quia proximè erit Pascha, carnificium exercebunt. Quemadmodum iam Myslimicij quidam obuiam sibi mulierem, arbitratu esse vitulam, doctè laniauit. In alia verò ciuitate, eodem die, non paucos de grege, non quidem boum, sed rusticorum, qui uentum carnes aduexerant, non iam in laniena, verùm in foro, ubi solent carnifices canes, instrumentis suis ad id iam bene instructis, maſtauerunt. Ecce tibi: quam digne? *Nam cum nobilitatem suam omnis artifex à mataria nobilitate sumat, & corpus hominis sit præstantius corpore bouis, cur non potius homines, quàm boues maſtare debent?* Dictum puta de lanionibus Iudæis, non Christianis: qui nunquam sunt aut fuerunt sordidi, vel iniusti effusores sanguinis hominum. Hæc in specie de quibusdam artificibus Mechanicis. Nam plurimos consulto prætereo. Nunc aliqua in genere de omnibus prædicere non grauabor. Omnes erunt serui omnium, aditum ad magistratus ciuiles & honores non habebunt. Sordidi erunt, nimis anxij, & cogitabundi. Assiduè plus iusto solliciti, quid edant, bibant, induant. Timidi. Ad lucrum audaces, mendaces. Ad extremum, quò huius generis aliqua ars erit iustior, eò etiam minùs quæstiuosa. Mimorum conditio non illepida futura est, etenim hi soli perpetuò, idque uerissimè, repræsentabunt statum omnium uitæ præsentis statuum. Seruitus siue fiat ex lege, siue naturâ, omnium rerum sub cælo extremum malum erit. Seruitus aulica, liberè suscepta, præsertim longa, sera pœnitentia. *Experto crede Roberto.* Seruitus ex gratia, mera adulario. Magistratum gerentium status erit quoque seruitus: quia non quæ uoluerint facient, sed quæ leges & consuetudo eorum. Quinetiam non hanc sententiam quidam pronuntiabunt, quam ratio naturalis dictabit, sed quam consuetudo, ut dixi, amor, sanguis, potentia, timor, quæstus, negligentia, tædium, uoletudinis propriæ respectus, ignauiam insulurrabit. Et uereor ne proximo anno illud impleatur, quod quondam Apuleius prædixit: *Nunc iudices sententias suas precio uandinantur.* Video enim huic succinere propretium:

*Auro pulsa fides, auro uenalia iura,*

*Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.*

Dispensatores omnes omnibus, sed tantum suspiciosi, & animo imbecillibus Dominis, erunt suspecti: contra, fortibus, & fidentibus, fidi, & constantes. Et illorum quoque flaminum conditio erit miser-

rima, qui quasi ex professo & debito per sepes, per plateas, per pon-  
 tes, per môtes, per lyluas, spinas, vrticas quotidie nô grauabûtur tan-  
 tum itineris ad diuerforia, & diuerticula conficere, quantum distat arx  
 regia à Clepardia. & platea sutoria, vel celarium Suinum à Casimiria.  
 Et quantum Ecclesia Clepardiensis ab ædibus D. Marci. Hoc autem  
 plerunque facient, cum vt fortiter cratheras longos statuunt, & vina  
 coronent, atque totos se madido proluant auro, vt hoc pacto post la-  
 bores respirent: tum vt more histrionum, Menandrum agentes, sal-  
 tent, & nugis se oblectent; atq; lusu tessularum, instar scurrarû, omnis  
 vacui pudoris, diem, genio indulgentes, transigant lætiores: ac tan-  
 dem, ceu helluones aliqui, vel gurguliones, totâ nocte bacchentur. Ad  
 id faciendû consuetudo ipsa eos instigabit, & negocij inopia peruret:  
 Manicæ enim atteruntur à crebra scripture, & librorum lectione.  
 Sapientis autem est rebus suis providere. Ergo non probro ducent,  
 lucri potiundi gratia, reiectis Biblijs, & Breuarijs, folia lusoria diurnâ,  
 atq; nocturnâ manu voluere, & reuoluere, choreas ducere, imagines  
 viuas lustrare, penetrare. Specilla adornare, cum eis clandestina mi-  
 scere colloquia, ne turpes, & garruli habeantur. Imò non nouum  
 erit eis monentibus amicis obltrepere, pateris insultare, pocula præ-  
 bibentibus familiaribus exsiccare, consilium de diuinis rebus peten-  
 tibus respondere: Aliàs te videbo, nunc non vacat. passim illud in o-  
 re habebunt: *Dum fata sinunt & viridis ætas permittit, viuere latos decet.*  
 Nec temerè enim dixit Doctor quidam Parisiensis:

*Triste cor, ira frequens, mens raro gaudia præbens:*

*Hæc tria consumunt corpora sine breui.*

Visitabunt igitur tabernas frequenter, vt melancholiam, nimis e-  
 os prementem, ex animis suis pellant. Sed fallentur, & multum à vero  
 deuiabunt. Maior siquidem eos hinc mania occupabit, ac totos pla-  
 nè in terram prosternet, tum ob exhaustum marsupium; tum ob fa-  
 mæ (quâ nihil bono viro preciosus esse debet) iacturam; nec enim  
 obturare poterunt linguas plebeculæ non aliena à veritate strepitan-  
 tis: *Non fac, non dicent.* Etenim vt solem ymbra: sic fædum & malum  
 vitæ vsum comitatur hominum obtrectatio: Tum ob conscientie  
 remorsum: Tum deniq; ob species in tabernis frequentius ante visas,  
 se præsentare renitentes. Varior itaq; eis minimè rem successuram.  
 Aliqui enim à rusticis, oblitis nuper factæ illis confessionis, interpel-  
 labuntur scipionibus dentatis, & pro sibi iniuncta penitentia vicif-  
 sim par pari referent: aliqui à Dominis hæreditarijs ex Parochijs &

Beneficijs exturbabuntur, & ultra Silesiam vel Russiam in exilium ablegabuntur. Multi à vigilantissimis Præsulibus degradabuntur. Non pauci seuerè visitabuntur, & regale sacerdotium, tanquam ornamenta quædam, mundo ostendetur, ne autem pereant, tanquam lapides preciosi ad locum quendam munitum cautè ducentur, & in scrinio recondito, seu potius carcere tenebroso, dicto Lipowiec, diligentissimè asseruabuntur, custodiæq; militum, & Haydonum, tradentur, ne fortè veniant coadiutores, vel coadiutrices eorum, & furentur eos: quidam nunquã dimittètur: aliqui post mensem vnum plures uè erumpent, excedent, euadent: nonnulli post aliquot annos populo producentur; qui quidem non grauabuntur exire, pudore tamen suffusi, monstrabunt se suis. Cùm venerit sequens annus, quilibet diligenter seipsum intueatur, examinetque, & albo coruo rarior erit, qui alicui horum, quæ prædixi, aut pluribus, non inuenierit se obnoxium. Hi omnes hucusq; recensiti status vitæ, ob dictas causas, vehementer displicent. Quare adhuc considera vter sit eorum, quos subijcio, tandè amplectèdus. Philosophi pleriq; & infallibiliter omnes ex primo genere, Sacerdotes, Monachi; maximè verò ij, quos instituti vitæ suæ pænituerit, manuq; semel adnota aratro, retro spexerint, ingenti cogitationũ variarum mole, & assiduâ melancholia, instar truculenti carnificis, dies noctesq; acerrimè exagitabuntur, ac torquebuntur. Vnde quoddam genus hominum negat hodie mortales vexari à malis spiritibus, sed tantum à melancholia, quod tamen si verum est, cur multos de medio sui non eijciunt, (non paucos enim etiã inter eos ipsos necesse est esse melancholicos) cùm expellant cæteros, qui vulgò creduntur esse obsessi à Dæmonibus, adiurando eos. Agricoltæ, seu veri ciues, cùm habeant sua oblectamenta, occupationes, rerum omnium copiam, & ab hoc maligno spiritu (intelligo melancholiam) longè absint, meo iudicio, cæteris omnibus quo ad vitam moralem, præferendi. Itaq; (vt tandem aliquid certi concludam) si vitæ tranquillitati, securitati, sanitati, longæuitati prospicere volueris, vxorem bonam ducito, agriculturam exerceo. Sin autem anxietatem, tetricitatem, noctes & dies in somnes, capitis frequentem dolorem, stomachi cruditatem, corporis imbecillitatem, caniciem immaturam, vitam seipsâ breuiorem, tranquillam, venerabilem, similem Angelicæ, cum Deo assiduè colloquentem, elegeris. Sacerdos, Philosophus, Monachus esto. Quòd verò attinet maiorem certitudinem salutis, hinc vanum est de illa quærere. Quili-

bet in sua vocatione optimus esto. Non enim status vitæ est causa salutis vel condemnationis, sed bona, vel mala cuiusq; opera. Non eotamem inficias cõditionem vitæ esse occasionem alterutrius horum.

## De Rusticis.

**E**quidem conditionem, mores, fortunamq; rusticorum, non illepida futura, aduerto: idcirco peculiarem de illis tractationem instituo. Ac vt eò melius res cedat, ab ijs qui eis præerunt, in itinẽ sumendum esse duxi. Habebunt itaq; præter proprium Dominum, primò Arendarios, plerosq; nimis duros, quieos, non tondent, sed glubent. Quãuis iam nostra ætate non paucos eiusmodi, imò duriores, Dominos quoq; proprios reperias. Secundò loco reget eos toruus Præses, aliàs Starosta, hunc rustici, eius benignitate abusi, in dies mutari, si fieri possit, cupient, sibiq; alium atq; alium dari exposcent, nec aliquãdo voti sui impotes erunt, namq; nonnulli Dominorũ propter imbecillitatẽ animi sui, nõ rarò præfides suos vel fidelissimos, suspectos habebunt. Cũ venerit dies Dominicus, vel festus, modò Præfides, modo ipsi Domini proprii, & Arendarij conuocabunt rusticos, qui quidem non libenter omnes conuenient, atque eò tempore ardua negotia, prout illi existimabunt, peragent cum rusticis, detinebuntq; eos, donec media Missa, nonunquam tota absoluator. Si verò Sacerdos inuitauerit Præfidẽ vel Dominum in templum, rogaritq; vt rusticos dimittat, & præterea illam sententiam grauissimam Doctoris cuiusdam Ecclesiæ in medium attulerit, nimirum, *Maledictum negotium, propter quod negligitur diuinum officium,* vel tanquam stultus nõ intelliget, vel si forte casu aliquo intellexerit, vt obstinatus, contemnet, semperq; id quod ipse volet, & non quod alijs visum fuerit, efficiet: Quisque enim sibi proximus. Quiaetiam in furorem, sine graui causa, aut excessu rusticorum, impulsus, mittet aliquos in carcerem *Gastor*, vbi teneantur, ne possint venire in templum, adesseque Sacro Missæ officio, & Concioni. Vltimò tandem eriteis Aduocatus, qui causas eorũ, non ex tua, sed Domini sententia, iudicabit, imò omnia faciet ad vultum, & nutum Domini: Dominus enim est norma, & regula actionum subditorum suorum. Præses & Villicus sequenti anno vicum incommodum patientur: Domina aliqua, præsertim absente Hero, missa falce in alienam messem, adimẽt eis terẽ omnem potestatiẽ in rusticos, ipsaq; , quasi vidua, & carens seruis, reget eos pro tua libidine &

dine, & muliebri petulantia. Nihilominus tamen rusticus in templo erit stultus, in confessione mutus, in oratione tēdiolus, in taberna miles, in foro durus, & astutus, laboris præsentē præside amans, ad discendas artes asinus, ad fallendum insignis doctor, ad omnia denique bona rudis, & ignauus. Vxorem ducet, non quæ sibi placuerit, & cui se cōmendabat, sed cum qua Dominus vel Domina matrimonium contrahere iusserit. Quod si verò noua nupta in templū attracta & adducta, stādo ante sacrum altare, noluerit proferre verba, quibus matrimonium contrahitur, Hera mittet ad illam mastigem, aliās Korbacz, quo viso, res succedet: non spernenda enim est vis mastigis, qui & iuncta soluere, & soluta iungere non difficilē queat. Quandoque die sabbati, & præter communem aliorum consuetudinem, optimo iudicio Domini, sed meliori Domine, celebrabuntur nuptiæ miserorum rusticorum: Omnes enim dies Domini sunt, & homini dati ad vtendum. Postquam verò ē templo redierint, & aliquandiu ederint, biberint, choreas etiā duxerint, iamq̄; sol occiderit, occludentur ambo ab extra in aliquo, sacris nuptiis indigno, eoque angusto, sed & sordido ergastulo ad stabulum pecorum: *Virtus etenim sicut sol à sordibus non coinquinatur.* Neque dimittentur, donec sol lustrauerit terras, vt ne inuitorum aliquis, noctu per tenebras fugiat: sic charitas & amor coactus crescet etiam ipsis inuitis: Est namque opus misericordix, disconuenientes amoris vinculo iungere. Verum postea Rusticus quasi memor debiti & officij sui, aliquoties singulis diebus suam vxorem, quam illi non electio ipsius, & voluntas, sed potentia superioris dederit, tractabit diligenter, & solenniter, non quidem cibo aut potu, sed pugnis in facie impressis, donec oculus vterq̄; bene intumescat, luoremq̄; notabilem contrahat, & duris stipitibus, ac robustis sustibus. Tandem verò exactis aliquot septimanis fugiet à Domino suo, derelicta sibi vxore semiuidua: Quia istud Matrimonium dicit neque propter Deum incæpisse, neque propter Deum finitum iri, sed propter metum. Si autem aliqui sibi cōplacuerint, non collocabuntur eiusmodi in matrimonio, ne forte amor eorum vltra modum excrescat: Est modus in rebus. Præterea semper voluntati rusticorum debemus aduertari: spernenda enim sententia vulgi. Si quid verò contra eos Sacerdotes dixerint, aut publicè, aut priuatim, habent Domini, quo se vindicent à verbis Sacerdotalium, si prius legerint, quæ sub finem de veris politis scripsi. Hoc tantum addo, si noluerint Sacerdotes inuitos copulare, vt pote qui soleant se Canonibus defensare, mittent Domini acersitum vici-



num Sacerdotem, qui fortè non grauibitur venire, si ad minus vel florenum, vel talem obtulerint, vel potiùs modium tritici dederint: vel denique gratiam suam polliciti fuerint.

## SECUNDA PARS.

Quod quibusdam secundum proprium vitæ statum, conditionem, complexionem, ætatem sit vtile vel inutile factu Vaticinia pro anno 1613. & alijs sequentibus.

*Ut quis nunquam canescat.*

**S**eprem sibi cauenda esse sciat, qui fortè etiam in senectute, nedum in ætate immatura vult euadere canos capillos. Sunt autem hæc: Cura, ebrietas, nimius rei veneræ vsus, calida regio, frequens vsus balnei calidi, exquisita medicamenta, & lotio capitis calidâ aquâ, & octauum habeat oportet, nimirum, naturam fortem: Imbecilla enim procliuis, ac prona est sponte sua ad immaturam caniciem, quæ non potest euitari, quia non est posita in nostra potestate, aut voluntate, & est probatum, atque expertum. Hic non possum mirari satis diuinam prouidentiam, quæ etiam si naturæ posuerit terminos suos, quos nemo præteriret, tamen non paucos continentes nos ipsi oculis nostris vidimus, his ipsis artibus sic naturæ, alioqui falli nesciæ, impetum, si non omnino represisse, at certè retardasse.

### Volentibus diu & salubriter viuere.

**Q**uid post Deum meliùs, quàm diu viuere, & prospera valetudine frui? Quando enim videt homo agi de vita sua, quid non largiatur liberatori suo? An verò sit vllus tam insanus, qui in vitæ periculo pecuniæ parcat? Cui ergo tempori nummi referuat vsu illico periturus? Pellem pro pelle, sicut Iob inquit, & omnia quæ possidet homo, dabit pro anima sua. Festiue Philippus Alexandri

pater, quum à clauicula luxata laboraret, & subinde aliquid pecuniæ  
Medicus posceret, accipe iam, inquit, omnia quæ vales, quando ha-  
bes clauem. Verumtamen plerique ita tractant vitam, ac si ea nihil  
à se alienum esset magis, diligentius enim asseruant pecuniam, vestes,  
& idgenus alia, quàm vitam. Quis enim ex ædibus suis eijceret in vi-  
am lapideam argentum, aurum? At multi vitam suam periculo latro-  
num exponunt diurnis nocturnisq; grassationibus. Quis vitreo vali  
magnos lapides, quos sustinere nequeat, nisi frangatur, violenter im-  
ponat? At pleriq; ita crapulâ & ebrietate distendunt ventrem suum, vt  
quamuis non ad eò sensibilibiter, sæpe rumpatur: Et ita velociter deglu-  
tiunt cantharos, vt nullus imber, nulla grando è cælo velocius cade-  
re possit. Alij verò pecudum ac veneris indulgentes voluptatibus, plus  
quàm canes, sues, vrsi, cæteraque bruta, in vitam suam debacchan-  
tur. Alij pro scortis pugnantes, animam suam, nullo precio æstiman-  
dam, ponunt. Alij de lana caprina rixantes, ne videantur esse supera-  
ti verbis in taberna armis superantur, & turpiter occubunt. Qui verò  
curis ac sollicitudinibus eam ante tempus consumunt, hi sunt, qui no-  
ctes atq; dies nulli rei magis, quàm diuitijs inhiant. Qui hinc in æter-  
num se victuros arbitantes, sicut apud inferos Cerberus animas, ita  
omnium diuitias insatiabiliter concupiscunt, hæc q; inani curâ se mi-  
seri totos frustra perdunt. Quid enim stultius esset eo homine, qui  
confecturus iter vnus diei, se se oneraret annonâ mille dierum? At qui  
diuitiæ sunt breuis vitæ longum viaticum. Quidam, propter vanam  
garrulitatis ostentationem, tanto furore seuiunt, ita chartis impalle-  
scunt, ita libris immoritur, vt reuerà ante tempus à natura præfi-  
nitum moriantur. Fuit quidam professor ante octo annos admo-  
dum iuuenis, sed eruditus, atq; ob id solum meritò ab omnibus cele-  
brandus, qui iam iam spiritum exhalans se studiorum labore absum-  
ptum è vitis excedere affirmavit, eamq; diligentiam discipulis nomi-  
ne suo testamento reliquit. Quidam verò contra ita ocio torpescunt,  
ac languidi efficiuntur, vt cadauera & non homines te videre existi-  
mes. Isti sunt, qui nihil discere volunt, qui plus corporis quàm animi  
bonis consulunt, qui non perpendunt, quàm speciosa, quàm cele-  
stis, quàm diuina quædam res sit mens ornata varijs disciplinis. Ego  
sanè non video, quid hæc hominum monstra, qui corpus grande  
circumferunt, vel agrè trahunt potius, a bobus dissent, nisi quòd lo-  
quantur, non mugiant. Facies stupida, aspectus habes, crassa labra,  
semper terram & pabula spectant, venter ingens, quem quater aut  
quinque

quinque quotidie implent, isthæ animalia generosos spiritus ad alta natos trahunt ad quietem. Aliqua tamen discenda arbitrantur, quæ more suo apud imperitos inter conuiuandum queant ostentare. O pecudes, ô bellæ, non homines. Maximè autem omnium homines morte immaturâ tolluntur propter peccata, quæ Deum non timendo, homines non verendo patrant, quod sacræ literæ plurimis in locis docent, & exemplum comprobant. Iuuenis enim quidam imberbis, sed nequam, suspensus, mox apparuit cum nimis prolixâ, eaq; canâ, ac venerabili barba, quem attoniti spectantes, responsum acceperunt ex reuelatione Dei: Talem futurû, ad talesq; annos peruenturum, si non peccare consuesset. Quæ omnia idè faciunt, quia parùm aut nihil credunt nostris uaticinijs, quæ sunt uerissima: credent postea, sed serò, cum iam regressus non dabitur ullus. Quòd si quis uult quàm longissimè, & quàm saluberrime producere vitam, nec frustra implorando auxilium Medicorum, postea eam repetere uelle, ea in primis, quæ dixi paulò superius canicè adferre, quantum fieri poterit, deuitet. Et quoniam experimenta, ex quibus & artes ipsæ, ut ait Arist: natæ sunt, ubiq; locum habent, & habere debent, discite diu in bona ac prospera ualitudine uiuere ab ijs, qui sic uixerunt. Emultis autem unum tibi imitandum propono. Sed ne dicas unam hirundinem non facere uer: Nam alios tibi aliunde conquirere poteris. Hic autem est Nicolaus Leonicensis Vicentinus, Medicus peritissimus, qui hoc ferè nostro sæculo peruenit ad 90. annû integerrimis (quæ omnia hodie miracula) sensibus, vegetâq; memoriâ, nec incuruâ quidem ceruice, quum esset staturæ cellioris, & sine scipione uenerabilis. Is & uitæ exemplo, & præceptis tibi longam & salubrem vitam persuadet. Vita eius hæc fuit: Ab ineunte ætate nunquam ocio, sed studijs literarum deditus fuit. Cibi & uini maximè abstinens, somniq; minimi, præsertim uerò uerecitis continentissimus, usq; ad eò mollioris uitæ voluptates abdicauit, ut pecunias, luxuriæ instrumenta, nec agnita quidem monetæ nota, contemneret. Oblatum, & nulla delectum cura, cibum caperet: nec unquam de fortuna quereretur, quod unam uir acutus studiorum laudem respiceret, nec opportuna mediocris uitæ subsidia sibi defutura prospiceret. Præcepta uerò uitæ suæ congrua hæc dedit:

Quum enim aliquando Paulus Louius Episcopus Nouocomensis ab eo comiter peteret, ut ingenuè proferret, quonam arcano artium ueretur, ut tanto corporis atq; animi uigore uitia senectutis eluderet. Uuidum, inquit, ingenium, perpetua uitæ innocentia: salubre uerò  
corpu

corpus hilari frugalitatis præsidio, facile tuemur. Dignus certè quem imitemur: Quæcunque enim præcepta de conseruanda valetudine hic dicta sunt, aut vnquam alicubi leguntur, in hoc vnico viro, quasi libro viuo, omnia ferè cernuntur. Itaq; nullam magis compendio-  
sã tibi tuendæ sanitatis viam demonstrare possum. Sic fac & viues.

## Conuiuus.

**O**bseruatio vulgi est, si tredecim in conuiuio sint, vnum ex illis ante annum moriturum. Vidi nonnullos, qui ob id ad conuiuantès duodecim nunquam accedebant, ne numerum dictum complerent.

## Cælibibus remedium.

**F**vturis annis Eunuchi, & cælibes bene valebunt. Vt tamen morbos euitare valeant, accipiant remedia. Quando aliquis eorum flammis vretur, lauta copiosaq; cibaria demittat, præter necessarium tuendæ sanitatis vsum. Nam:

*Venter, pluma, venus, laudem fugienda sequenti.*

Similiter calida impense cibaria, & stasiosa, vinumq; præsertim potens, ac multum deuitet, venerealq; imaginationes, & similes voluptates fugiat, & non faciliè à Venere tentabitur. Pariter Philosophiæ morali, & sacrarum literarum studijs se dedat, & otia penitè abijciat, pulchrarumq; mulierum, quantum fieri potest, contortia. Plumæ lectus ablegetur. Quidam aquã gelidã verenda macerant, præsentaneo remedio. Tu verò efficacius remedium hoc accipe. Hyeme niuis gelu concretæ, æstate vtricæ maioris, manipulum iustum, aut quantum satis est cape, & da pudendis tuis in circuitum, & liberaberis. Si neq; hoc te iuuat, vltimum, atque omnium præsentissimum est, vt acceptã face ignitã, tibi loca illa tamdiu inuras, & cremas, donec tentatio discedat, exemplo Mariæ Coronellæ Hispanicæ Matronæ, quæ marito diutiùs militiæ commorante, cum acrilibidinis ardore inflammaretur, ardenti face pudenda sibi inussit, vt ignis vi flammam ignis extingueret. Qui ne hoc quidem fuerit contentus, iam tantum vnicum restat auxilium, idq; desperatum, vt sibi membrum, quod se scandalizat, amputet, atq; præcidat. Quemadmodum scio quendam Nobilè tractûs Lublinensis ante septem annos fecisse, hoc quæ modo à se tentationem repulisse: Et is erat studiosus literarum.

Vxorem

## Vxorem ducturis.

**E**T si multi sint, qui media ad finem consequendum, & vitæ æstiones ad scopum destinatum, tanquam sagittarius ad metam præfixam, dirigunt, & moderantur: tamen modum non possunt, multa facta indagine, consecrari. torquentur ergo, & in varia, atque varia rationis præcipitia feruntur, & exacerbantur miseri vitæ suæ consulere, & res in optimo statu constituere conantes: In biuio enim positi esse videntur. Hinc labor ad aspera, & ardua virtutum munera incitat, illinc fæda voluptas se illecebris conspurcare, & totos delinire persuadet. Inde fit, vt, quid optimum factu sit non tam faciliè aduertere quisq; possit. Quid igitur? Prodesse ego non obesse volo omnibus, talis sù farinae homo. Scito ergo. Vxor omnis eligitur aut formosa, aut diues, aut casta, hæc autem omnia difficilè est vnã aliquam habere. Formosam, cùm sit arrogans, quis poterit pati? Inquit enim Menander: *Superba res est mulier formosa.* Cui, si stultitia, quæ est superbiæ fons, accesserit, etiam est abominabilis, & execrabilis: Siquidem *quod monile aureum est in vultu porci (vt legitur Prouerbiũ 12.) id est mulier pulchra, & fatua.* Adde, quòd difficillimè custodiri potest, teste D. Hieron: in Epist: *Nihil tutum est, in quo totius populi vota conspirant: Alius forma, alius ingenio, alius facietis, alius liberalitate sollicitat: aliquando expugnatur, quod vndiq; incessitur.* Turpem autem si duxeris, tormentum habebis, & vim patieris: quia *difficile est possidere, quod nemo dignatur habere.* Hanc ob causam aliquando Bias vir sapiens ac nobilis, rogatus à quodã deberet ne vxorem ducere, an vitam viuere calibem? inquit: *Aut pulchram ducis, aut deformem. Si pulchram, habebis communem, si turpem, habebis pœnam. Neutrum autem bonum, non est igitur ducenda vxor.* In hac tanta difficileate, vt cias quid omnino tibi sit tenendum. Dico esse tertium, inter duo ista. Inter enim pulcherrimam fœminam, & turpissimam, media quædam forma est, quæ à nimix pulchritudinis periculo, & à summo deformitatis odio vacat. Istud ergo tertiu si amplexus fueris, tutior eris.

Diuitem si duxeris, nunquam è ceruice tua excuties iugum eius: non hic te consilium, non prudentia, non ars vlla, aut astutia, non robur deniq; corporis iuuabit. *Audax est & imperiosa diues vxor.* Non temerè dictum: *Neg, mulier malum virum metuit, si diues est.* Idcirco Martialis lib. 8. ad Prisc.

*Vxorem quare locupletem ducere nolim*

*Queritis? vxori nubere nolo mea.*

Quòd verò attinet mores & virtutem vxoris, hæc rursus quoad ista, quadruplex esse potest. Phocylides enim Poëta ex quatuor animalibus natum esse genus mulierum ait: *Cane, apiculâ, toruâ sue, & equo iubaro. Ex equo nata agilis est, velox, discurrens, pulchritudine præstans. Ex toruâ autem sue, neq; bona, neq; mala est. Ex Cane verò, molesta & sera est. Ex apicula autem bene regit rem familiarem, & nouit operari, Cuius amabiles nuptiæ, Chære sodalis, optandæ tibi sunt. Cæterum studiosam & virtute præditam atq; castam eligere vxorem, hic labor hoc opus. Quis enim intelligit bona an mala futura sit: Quoniam nulla est vxoris electio, sed qualiscunq; obuenerit: habenda, si iracunda si fatua, si deformis, si superba, si fatida: quodcunq; vitij est, post nuptias discimus. Equus, asinus, bos, canis, & vilissima mancipia, vestes quoq; & lebetes, sedile ligneum, calix & vrceolus fictilis, probantur prius, & sic emuntur: Sola vxor non ostenditur, ne ante displiceat, quàm ducatur. Inde est quod hac in re multi alioqui prudentissimi, & magni viri hallucinati sunt. Hinc Phoroneus Legumator, moriens fratri dixisse fertur: *Ad summam felicitatem nihil mihi desuisset, si vxor desuisset.* Socrates verò dicere solebat, *3 se mala affectum: Grammaticam, paupertatem, & perniciosam vxorem: Quorum duo iam effugisset, perniciosam vxorem effugere non potuisse.* Norunt experti, & nemo scire potest melius, quid sit vxor, vel mulier, illo, qui passus est. Namq; vt nemo sensit, quâ parte stringat calceus, nisi qui indutus est, ita nemo nouit ingenium mulieris, nisi qui duxit vxorem. Proinde Isocrates monet in hæc verba: *Quemadmodum pisces qui nondum intra nassas sunt, volunt intrare, qui autem iam intus sunt volunt exire: sic & vos, ne idem vobis accidat videte.* Hoc nimis verendo Thales roganti matri, vt matrimonium iniret, *nondum esse tempus* dixit. Deinde verò maior natu non amplius esse tempus. Cui Plato succinit: *Iuueni vxor nondum ducenda, seni nunquam.* Adeò malitiam mulieris antiqui timuere. Verumtamen si certò aliquis scire possit, vxorem optimam futuram, cui ducenda est, sine cunctatione ducere posset. Enim verò (Eccle. 36. *Qui possidet mulierem bonam, in bonâ possessionem, adiutorium secundum illum est, & columna, vt requies.* Et Prouerb. 19. *Domus & diuitia dantur à parentibus, à Domino autem vxor prudens & morata.* Iam docui quid videre debeant vxorem ducturi: verumtamen ano inibus, æquè ducenda sit vxor, est grauis controuersia. Nam, vt cæteros homines interim omittam, Theophrastus quaerit, an vir sapiens vxorem ducat? Et cum definisset si pulchra esset, si bene*

*morata:*

morata, si honestis Parentibus: si ipse sanus ac diues: sic Sapientem aliquando inire Matrimonium statim intulit: hac autem in nuptijs raro vniuersa concordant, non est ergo vxor ducenda Sapienti. Primum enim impediri studia Philosophiæ, nec posse quenquam liberis & vxori pariter inservire. Multa esse que matronarum vsibus necessaria sunt: preciosa vestes, aurum, gemma, sumptus, ancillæ, supellex varia, lectica, & exedra deaurata. Deinde per noctes totas, garrula conuersiones: illa ornatio procedit in publicum, hac honoratur ab omnibus, ego in conuentu feminarum misella despicio, cur aspiciebas vicinam? quid cum ancilulla loquebaris? De foro veniens, quid attulisti? Non amicam habere possumus, non sodalem: alterius amorem odio sui sufficitur. Si doctissimus Præceptor, Baccalarius, Magister, in qualibet vrbium fuerit, nec vxorem linquere, nec cum sarcina ire potest: pauperem alere, difficile est, diuitem ferre, tormentum.

## Melancholicis.

**D**vo sunt remedia, quibus melancholiã ex animo pellas. Alterũ, vt bene nutrias, corpus vino impleas, ac alijs modis recrees mentem. Iceirco nonnulli ante concionem integros vini cantharos spiritu vno quondam exhauriebant. Alterum, vt multũ dormias: incredibile enim, quantum lucis, quantum alacritatis res ea adfert animo. Sed cauendum est, ne, dum expellitur melancholia, quæ exsiccat ossa, acquiratur illa, quæ vrat postea & animam: ocium enim, saturitatem, & somnum, consequuntur scelera inaudita. Quapropter Sapiens Romanus non minus eleganter, quàm doctè monet:

*Plus vigila semper, nec somno deditus esto:*

*Nam disturna quies vicijs alimenta ministrat.*

## Aliud Salubrius.

**Q**uidam scripsit, Melancholiam pelli, si corpus perfricetur vriticis. Experire.

## Diabolis.

**L**yanus dicere solebat, Diabolum non timere Verbum, sed Aduerbium: quamuis Verbum præstantior sit pars Orationis, quàm Aduerbium. Nam orare, elemosynam dare, psallere, confite-

si peccata sua, non veretur, sed deuotè orare, rectè dare elemosy-  
nam, bene plallere, verè, & non fìctè confiteri peccata, id timet.

## Piscatoribus qui non habent retia, quales sunt pauperes Bicy, aliàs Rybaldi, & in vil- lis Magistri.

**B**icus, dictus est à bik Polonico nomine, qui, scilicet, bik, prin-  
cipem locum tenet inter globulos, vt pote illis maior, quo pue-  
ri in planissimis locis ludentes strenuè propellunt ac tridunt glo-  
bulos illos minores. Cur autem sic vocentur nostri Bicy, causa est:  
Quemadmodum etenim bik globulus, cùm sit maior, celerrimè om-  
nium giratur, ac rotatur, cæterosq; globulos ante se, quocunq; ver-  
xerit, propellit atq; protrudit: ita etiam dicti Bicy per totum ferme  
orbem terrarum maximè omnium hominum rotantur, & huc illuc  
sine certo cõsilio vagantur, nec vnò in loco diutiùs consistere queunt,  
secumq; alios minores, Scholares scilicet, breui futuros perfectos  
Bicos, instar globulorum, quocunq; ipsi oberrarint, nolentes volentes  
trahunt, discurrereq; cõpellunt. Quod verò aliud nomen attinet. Ry-  
baldus dictus est à Polonico vocabulo Piscis *Ryba*, seu potius piscatus,  
qui est actus piscandi: hoc enim genus hominum, hodie ignauum pe-  
cus, & inutile pondus terræ, olim sagax, laboriosum, ac diligens, pi-  
scatu victitabat. Nunc verò præ suo torpore, & incredibili desidia,  
intermisit, seseq; totum aucupio, sed mulierum, dicauit. Vt ergo te  
miser Rybalde quoquo modo possum, ne ocio pereas, ad laborem  
excitem, modum antiquum, ac consuetudinem laudabilem præde-  
cessorum tuorum ostendam, quo tibi ipsi, vxori, si (vt credo) adest,  
panem quærites, quo denique quod tuis paruis scholaribus, cum  
Grammaticam ignores, tradere iam aptis ac idoneis possis, allequa-  
ris, mihiq; si tibi fortè successerit, gratias agas, memineris quoque,  
vt ere hoc meo consilio, quod è re tua reor futurum. Cape Rybalde  
in manus tuas longum, & tenue filum, huic insere lumbricos multos,  
vt filum occultetur, id conuolutum, atq; affixum longæ virgæ, esca  
erit ad capiendas anguillas. Nam incurui dentes piscium vermibus  
haustis, filo adhærebunt. *Talci, ná ryby Rybalcie.*

Horum optimi omnium & vtilissimi erunt Ecclesiæ, Magistri ex  
villis.



villis, verbi gratia D. Magister de Zielonki, D. Magister de Rudawa de oppidis verò præcipuis, D. Magister de Przyrow, D. Magister de Polaniec, D. Magister de Osiek. & alij similibus. Quãdo enim celebratur festiuitas dedicationis templi, Græci encen a, nos Kiermãlz vocamus, miseri, sine alterius iuuamine, quod magis nimirum videri debet, Stentoria voce, ad laudem Dei, & S. Patroni loci illius, ita cantant, vt si audieris, potius boare, quàm cantare hominem dixeris. Hoc tamẽ vnico vicio, sibi iam quasi innato, pleriq; laborabũt, quando conuenient vesperi in tabernam, illam sitim, quam in templo ex importuna vociferatione contrahent, ad ipsos fontes vberrimos celarij leuaturi, ita postmodum exsiccatis omnibus dolijs cereuixæ cũ rusticis agent, vt fiat quali regimen in Osiek.

## TERTIA PARS.

### Nonnullæ Historiæ.

**P**lacuit mihi aliquot historias selectiores his vaticinijs subiũxisse, vt, si quid simile, vel mirabile, futuris annis acciderit, scias, non primũ tibi euenisse: intelligasq; nihil nouum esse sub sole. Sed iam ad Historias tempus venire.

1. *Faber cũ ex altissimo templo decidisset, casusq; suo ipse illusus, occidisset alium, à filio mortui senis in iudicium vocatus est, cui respondebat: Ascende tu in eum locum, è quo cadebam, ego sedebo vbi pater erat, & me quoq; ruendo interficias.*

2. *Si asini cicutam liberiũ depascantur, somno profundissimo, & torpore inexpugnabili corripuntur, ita vt non tãtũ stupidi, sed plane mortui videantur. Quod rusticos rei huius ignaros fefellit. Nam dum asinis, quos ob id mortuos credebant, pellem ad vsum detraherent, accidit vt in medio serẽ operis, asini experrecti sint, magno excorrantium terrore, & ingenti spectantium risu.*

3. *Rusticus empturus aliquid in domo fabri, visã ante pedes parte ferri, arreptãq; manum adussit, nihil de igne cogitans. Is commotus, alterum ense petit: Faber accito puero, iubet vt ferrum auferat, hic super hoc prius exspuebat, auditoq; strepitu, dixit esse calidum. Rusticus reuersus domum, in calidissimum cibum ex aquã, herbis*

Et modico pane, paratum sibi ab uxore simili modo expresserat, nultumq; sentiens strepitum, bonam partem illico hausit.

4. Satyrus cum vehementer algeret, hyberno gelu supra modum sauiente, ab agricola inductus est in hospitium. Hic videns rusticum inflantem in manus, rogauit, cur id faceret; ut eas calefaciam, inquit. Mox apposita mensa, cum idem inflaret in feruidam offam, iterum rogauit, cur idem faceret: ut eam refrigerem, respondit. Quid? ait Satyrus, ex eodem ore calidum & frigidum? quod monstri genus hoc est? & confestim ex adibus fugit.

5. Apud Lyndios in Rhodo insula, Herculis sacra, maledictis & execrationibus per agebantur, eaq; pro uiolatis habebantur, si quando inter solennes ritus, vel imprudenti, vel nescienti alicui bonum verbum excidisset.

6. Quidam cum a filio crinibus pertraheretur, ventumq; esset ad domus limen, desine, inquit fili, nam & ego Patrem huc usq;. Et accusatus ille, quod Patrem pulsasset, hoc modo defendit causam suam: Et ille, inquit, Patrem suum verberauit, & hic (ostenso filio) me verberabit, postquam adoleuerit.

7. Myron nescio quis canus rogauit noctem Laidis, sed repulsam passus. Et cum Myron amens animaduertisset, se ob senium a Laide repudiari, crinem sucavit, iterumq; adiit Laidem, idem quod prius orans. Illa faciem noscitabunda, sed crine mutato decepta, credidit hunc, utpote capillo atati iuuenili competente, filium esse illius pristini amatoris, qui noctem poposcit, cum tamen idem esset, diuerso tamen crine. Respondit igitur Lais: se Patri suo iam mox negasse.

8. Iudeus quidam Praga in Bohemia Anno Christi 1530. qui cum Christiana rem habuerat, dolio picato per foramen virile pudendum indere iussus, serrato, & obtuso cultro iuxta appposito, cum vi caloris torqueretur, sibi ipsi paries, per quas peccauerat, amputauit, cumq; cruentus fugeret, immixtis atrocissimis canibus, laceratus est. Theodorus Zuing.

9. Cambleta Lydorum Regem eò voracitatis progressum, ut nocte quadam uxorem quoq; absumpserit: cumq; summo manè illius manum in ore comperisset, semet iugulasse, Xantus apud Calium auctor est.

10. *Machtildis Comitissa ab Hennenberg filia Florentij quarti Batauini Comitis, soror Gulielmi Regis Roman. Friderico secundo imperante, mille, quingentos, quatuordecim pueros simul genuit: qui in malluio ab Othone Traiectensi Episcopo auunculo eius sacrâ aquâ lustrati sunt, & post mortui. Auentinus lib. 7. annaliur.*

11. *Mela & Herodotus lib. 4. de Neuris Scythia Europea gente scribunt, statum singulis tempus esse, quo, si velint, in lupos, iterumq; in eos, qui fuere, mutantur.*

12. *Fur quidam à Rege Ægypti Rampfino, ob astutiam suam; quâ usus fuerat cum thesauro regio spoliando, tum in eludenda filia Regis, cui fratris abscisam manum pro sua porrexerat, & vite impunitate donatus, & Regis insuper filiam uxorem accepit. Herodotus lib. 2.*

13. *Flavius Vopiscus indicat, Aureliano in delicijs fuisse Phagone[m] quendam, qui vno die ad mensam Imperatoris ederet aprum integrum, centum panes, veruecem, & porcellum: biberit autem in fundibulo ori apposto plus orcâ.*

14. *Prouida rerum natura mater, verecundia fœminarum mirè consuluit. Nam virorum corpora proiecta in mare, Plinius in Historia rerum tradit, supina ferri, fœminarum prona. Ludouic. Viues de Christiana fœmina lib. 1.*

15. *Persa à pueris nudos conspici viros, nec fas, nec ius esse dicebant. Itaq; nudum conspicerere hominem, ac si immane scelus admissum foret, capite luebatur. Alex. lib. 2. c. 25.*

16. *Diogenes adolescentem quendam qui in caupona cum conspiceretur, refugit in interiora caupona: Quanto, inquit, fugis interiorius, tantò magis in caupona es. Plutarchus de virtutis profectu.*

17. *Lutetia Prætor duos Studiosos insolenter agentes ceperat, & patibulo affixerat. At Scholares seditione mota, eò rem deduxere, ut illos in ipsa cruce in posticum osculari, & de cruce depositorum suus honorificum deducere cogeretur. Theodor. Zuing.*

18. *Heidelbergen[sis] Academia ius summum vitæ, necisq; in omnes sibi subiectos habet, quod ne Principis quidem auctoritate infringi valeat. Idem.*

19. *Leo Bizantius, auditor Platonis, & Sophista nobilis, cum pra-*  
*pinguis*

pinguis esset, procedens in concionem, ab omnibus derisus est. Ad quos conuersus: Quid ridetis? ait, Athenienses, quod vobis videar pinguis? Scitote mihi uxorem longè pinguisssimam esse: talesq; ac tantos, cum finis concordēs, breuis admodum lectulus capit, discordēs ne tota quidem domus. Philostratus Athenæus hoc Pythoni Bizancio Oratori tribuit lib. 12. C. 28.

20. Anaxagoras prædixit lapidem è sole casurum. Qui etiam cecidit multis post obitum eius annis ad Ægæi flumen, sub Principe Dimylo: afferebat enim calū ex lapidibus esse compositum. Laert. lib. 2. Propter hanc causam Germani dixerunt se timere ruinam cali, vt est apud Currium lib. 1.

21. Megasthenes auctor est, mulieres Palæa habitantes, sex annos natas parere. Phlegon de mir. ab. & longæuis.

22. Scribit Plinius lib. 7. L. Metellum 10. maximas res optasse: vt pote voluisse. 1. Primarium bellatorem esse. 2. Optimum Oratorem. 3. Fortissimum Imperatorem. 4. Auspicio suo maximas res geri. 5. Maximo honore vti. 6. Summa sapientia esse. 7. Summum Senatorem haberi. 8. Pecuniam magnam bono modo inuenire. 9. Multos liberos relinquere. 10. Clarissimum in Ciuitate esse. Quæ omnia illi contigerunt.

### *Æpologeticon.*

Vir probe legisti vatem, vel Zoile? quis sis  
Conijciat subito, perfidus anne probus.  
Si probuses, laudas, si Zoilus, & proba carpis,  
Rectus recta, malus non nisi probra iacit.  
Vexant te, vel non isthæc mantheumata vatis,  
Sinon, quid carpis, corrige, si argueris?


GREGORIVS CZARADZKI.


### *In Momum.*


Zoile si bonus es: ne carpe volumina vatis:  
Nam tua prædicet colla tenenda trabe.  
Fatidicum rides vatem? ridebit & ille:  
Dum te suspensum tortor ad astra trahet.

Idem.

Finis Vaticiniorum ab Anno Domini 1613. 7. Martii initium sumentium  
& duratiorum vsq; ad consummationem seculi.







7226  
T

